4

OBSERVATIONES QUÆDAM DE PUERPERARUM MORBIS, DEQUE IPSARUM EPIDEMICA CONSTITUTIONE.

EPISTOLA

JOSEPH CERRI

MEDIC. DOCTORIS

AD

BARTHOLOMÆUM DE BATTISTI.



MEDIOLANI. MDCCLXXXVIII.

Apud Joseph Galeatium Regium Typographum.

Superiorum Permiſſu.

Riflettasi, che il debil sesso per tutto il tempo, che la natura s'occupa a riordinare la circolazione degli umori, e le interne parti sconcertate, (si intende per lo parto) è molto più sensibile all'impressione degli oggetti esterni si nell'animo, che nel corpo ec.

Giovanni Pietro Frank Polizia Medica lib. 1. pag. 584.

BARTHOLOMÆO DE BATTISTI

CELEBR. MEDICO &c. &c.

JOSEPH CERRI S. D.

HISTORIA I.


Ubenter vir clariss. occasionem ad te scribendi amplector. Nihil enim gratius, nil jucundius mihi contingere potest, quam cum viris in arte medica celeberrimis per literas aliquando communicare. Cumque de morbis puerperarum quædam essem dicturus, nemini melius, quam tibi sermonem hunc convenire existimavi, qui in tua de fœminarum morbis dissertatione tantam tibi laudem comparasti. In hisce vero meis observationibus non alienam auctoritatem mutuatus sum; ne inter tot citationum numerum, quibus uti potuissem, animos ab instituto averterem. Cæterum factorum veritas & medicorum præsentium, quorum aliquos honoris gratia nominavi, & mulierum superstitum nomine indicatarum, & denique totius populi auctoritate fulcitur.

Magdalena Pintina loci Arsagi annum vigesimum quartum ætatis agens, bonam corporis constitutionem sortita, primum die decima februarii enixa, vix a partu in febrim

incidit continuam; quam ſive putridam, ſive biliosſam, ſive meſentericam, ſive gaſtricam, ſive latiori nomine puerperalem nuncupare mavis, hic non contendam. Mulierculæ aſſidentes, quæ ſemper apud vulgus puerperis primis cujuſcumque ſupervenientis morbi diebus mederi ſolent, continuo inſtabant, ut cibum ex ovis, ex juſculis, ex elixa carne, & ex aliis hujuſmodi caperet (cibo enim pleniori effuſum ventrem reparari popularis opinio eſt). Ut vero accedenti diarrhϾ opitularentur, muris ſtercus larga manu obtulerunt: ſed ventris doloribus exortis malum increbuit. Morbi die quinta vocatus adfui. Tumidus aliquantulum venter, perturbatus & dolens, cita alvus & male olens, cum dehiſcendi frequentiori, & aliquando inani cupiditate, aut non ultro ferens, quæ videbantur, concitata febris, vires dejectæ, pulſus debiles, & frequentes erant; mammæ jam lactæ vacuæ emarcuerant, lochia ſubſtiterant. Statim ut ſe tenui & accommodata dieta contineretur, curavi: tum pulpæ tamarindorum unc. unam, rhabarbari drac. dimidiam, terræ foliatæ tartari drac. unam, omnia in unam maſſam conflata, alternis diebus repetendam, ſi res tuliſſet, præſcripſi; & ut aſſidue decoctum hordei malorum medicarum ſyrupo edulcatam, cui paullum adderetur terræ foliatæ tartari in uſum haberet, ſummopere commendavi. Rebus ſic ſtantibus doctiſſimus loci Seſti Kalendarum medicus Terzaghi petitus adiit; & rite omnia perpendens, nihil

a jam instituta medendi ratione movendum esse existimavit. Totus enim medicinæ cardo duobus præcipue indicationibus initi ajebat; in primis ut materiei continuo in ventrem defluenti aperta maneret alvus; eo enim natura ducebat; deinde ut apto concinno quæ diluenti remanens inconcocta, & aspera mulceretur. Quibus rebus cum satis superque provisum esse censeret, nihil adhuc ad curam exolvendam remanere addebat; nisi ut ægra se facilem medico præstaret; idque laboranti & consulebat, & maxime suadebat.

Revera quarta ab habita medela die, totius morbi nona, fusior reditur alvus, & non coacta, nec ut antea odoris fœditate excedens, vires paullulum reficiuntur, urinæ bonæ notæ emittuntur, febris lenitur; quæ omnia bene contingentia totum morbum consistunt, vertunt, molliunt. Sed indocilis ægrotans mulier, cum non amplius instantis mortis periculo perterreretur, continua vero dieta, & medicina ipsam maxime fastidirent, cumque & consanguineorum curæ, & dispendium, quod agricolis negotium facessit, cordi essent, aliqua negligere, multa præterire incipiens, ab omnibus abhorrere desiit. Hinc nimio, perversoque victui obtemperat: lacte, carne elixa, jusculis, oryza, phaseolis, cæpis lardo conditis, lixulis, polenta, & aliis hujus generis vescitur: nullum ordinem, nullum cibi tempus servat; quæ in mentem veniunt, quæ offerunt mulierculæ, quæ suadent, ipsa bono animo assumit.

Interdum febris quidem lenta, sed perpetuo tenens occupabat, corpus emaciebatur, abdomen intumescebat, vires, quo magis ægrotans nutriebatur, eo magis infirmabantur, alvus modo suppressa, modo soluta, urinæ parvæ, extremitates inferiores œdematosæ erant; faciem tristissimam ostendebat, corpus ubicumque jactabat. In hujusmodi rerum statu die morbi decima sexta dolores ventris acutissimi exoriuntur; cumque me consulerent ad miseram laborantem invisendam statim me contuli. Illa moerens sedem doloris regionem umbilicalem esse digito commonstrabat. Ibi revera in dimidiæ spithamæ magnitudinis gyrum abdomen magis tumebat. Diebus subsequentibus, ad vigesimum usque clysteria ex florum chamomillæ decocto injecta reponebat, fomenta ventri apposita vix ferre poterat; tumor, & imi ventris dolores crescebant; mixturam ex aquæ fœniculi unc. sex, spiritus nitri dulcis drac. una syrupi quinque radic. aperient unc. duabus cochleatim capiebat. Sed omnibus irritis, morbus in pejus ruebat; jamque mors præ foribus esse videbatur. Donec die vigesima tertia tumido adhuc magis, tensoque præsertim circa umbelicum imo ventre, ipse umbelicus aperitur; & inde cineræ cujusdam spissæque materiei unciæ duodecim fluxerunt. Die vigesima quarta, unciæ septuaginta, & diebus subsequentibus ad trigesimam usque, unciæ triginta. Hisce diebus venter evanuit, laborans mulier aliquantulum se melius habuit.

Sed quid tum? Vix tenui ſpe priſtinæ valetudinis recuperandæ conſolatur, manante adhuc ex umbilico humore per linteolum aperto hiatu, ſtatim & omnem medicinam adverſatur, & denuo nimio imparique cibo indulget. Quamobrem vires jam infirmæ labuntur, ipſa ultro emarcet, & tandem die morbi trigeſima octava bene paſta deceſſit.

Materiam ventre exceſſam chemico examini ſubjeci. Erat, ut dixi, mellis ſpiſſitudinis, cinerei ad flavum vergentis coloris; acre olere videbatur. Nihilo ſecius nec cum alcalinis, nec cum acidis efferveſcebat; cum hiſce tamen ſalibus mixta, mutabatur. Nam ſuperaddito ſale alcalino, & magis flaveſcebat, & tenacior efficiebatur, ita ut verſata latum duceret filum, aliquamque porro haberet cum pleuriticorum ſputo ſimilitudinem. Cum autem eidem ſubſtantiæ ſpiritum vitrioli adjungerem, ipſa ſtatim in album coagulum abiit, quod lacti coacto aſſimilari poterat.

Ipſius materiæ uncias quatuor in cucurbitam vitream immiſi; lenique igne admoto, inde unciæ binæ inſipidi umoris deſtillarunt: alia uncia tertium veniens aliquid ſalſi ſaporis habebat. Excitato magis igne, drachmæ tres ſubſtantiæ lactis denſitatis, coloris lutei, ſalem fuliginoſum olentis prodierunt, quæ, adjecto vitrioli ſpiritu, efferveſcebat, odoremque humano ſtercori parem emanabat.

Quod reliquum fuit in cucurbita, ſub-

stantia nigra carbonaria erat, grave olens, aerique libero exposita tota urens.

HISTORIA II.

QUædam Tognella mulier annos viginti quatuor nata, tota incolumis, & boni succi plena, Arsagi nupta, cum primum die decima sexta Augusti peperisset, vix puerpera febri acuta gastrica corripitur, a qua tamen curata evasit. Sed valetudine non adhuc rite confirmata, initio mensis Septemberis febri quotidiana spuria intermittenti laborare cæpit. Novum morbum nihili pendit, nullam medicinam facit nullam sui ipsius curam habet, nullum cibi modum servat, modo proprio nutui, & fœmellarum assidentium dictis morem gerit. Post mensem puerpera nequidquam expectatione, & incuria morbum vinci sensit. Nam lenta febris quotidie inhærens, nullum fere amplius integritatis spatium præstabat. Ipsa & viribus in dies magis destituebatur, & macie confecta vultum, & totum corpus exesum destructumque præferebat: commotiones, & vagos dolores in imo ventre presentiebat, ubi aliqua quoque inflatio adnotabatur. Rebus sic se habentibus octobris initio ad ipsam invisendam quæsitus adivi. Statim omnem operam dedi, ut febrim corticis peruviani decocto imminuerem, & imo si fieri potuisset omnino submoverem: superantem vero materiam, quæ in imo ventre immorabatur, accomodatis phar-

macis excuterem, & ſubtraherem. Sed nihil inde levaminis laborans capiebat. Febris continuo tenebat, venter eo magis creſcebat. Labente octobris menſe, duorum dierum ſpatio, tumet magis magiſque, & dolet circa umbelicum venter; ita ut ibi natum de repente tumorem dixiſſes; ipſe umbelicus medio protenditur, febris vehementior urget, quæ ægrotantem in ſummo vitæ diſcrimine adducit. Tandem protenſus umbilicus hiſcit, indeque lacteæ ſubſtantiæ binæ libræ exiliunt. Hujuſmodi materiei effuſione reviviſcere viſa eſt laborans mulier. Sed poſt aliquos dies, licet continuo ex facto vulnere materies deflueret, denuo tamen omnis vitæ ſpes evanuit. Nam concidebant vires, ægre ſpiritum trahebat, & morbo omnino confecta, & pene dixerim exſucca, vitam cum morte mutavit.

Materiem ventre provenientem in vitreo vaſe excepi, domum detuli, examinavi. Erat coloris albi ad cinereum vergentis, ſyrupi denſitatis, ſaporis aceſcentis. In vaſe per quatuor dies detenta in ſubflavum abibat coagulum, ſemperque magis exaceſcebat. Addito ipſi ſpiritu vitrioli cinereum in florem perſicorum colorem mutabat; non efferveſcebat, & quarto die coagulabatur; cum aceto immixta adhuc tardius, cum liquore anodyno Hoffmani tardiſſime. Alcalino ſali unita licet fermenti ſigna non apparerent, tamen in tenaciorem obſcuro lividam ſubſtantiam ſtatim coibat; ita ut quæ muſcæ ibi attingerent, implicatæ detinerentur.

Cum aliquid hujuſcemodi ſubſtantiæ igni in cucurbita vitrea exponerem; inde prodiit liquor aquoſus, qui etiam diu ſervatus, nullum nec odorem, nec ſaporem habebat. Quod reliquum erat in cucurbita, partim diſſolvebatur in aqua, & emulſionem ſive ex amygdalis, ſive ex ſeminibus confectam referebat: partim vero indiſſolubilis remanebat.

HISTORIA III.

Eliſabetha Tognella loci Arſagi, juvenili ætate gaudens, temperamento bilioſo cachectico prædita, die vigeſima auguſti ſecundum partum edidit. Laborabat jam ab octo diebus febri intermittenti irregulariter, & accedenti, & decedenti, quæ ſtatim poſt partum in continuam acutam commutata eſt. Cumque etiam continuo magnam ſanguinis jacturam faceret, in non levi vitæ diſcrimine verſabatur. Die quarta a partu variolæ raræ, & boni moris præſertim circa lumbos emergunt; interdum febris tenuabatur. Die quinta diarrhœa accedit, variolæ expullulare pergebant. Die ſexta febris iterum magis magiſque increſcit, mentemque laborantis confundit, perturbat, fallit. Die ſeptima melius ſe habet. Die nona febris omnino coercetur & variolæ jam decidere incoabant. Die Duodecima febris denuo concitata maximo frigore inſurgit. Die decima quarta extorrente adhuc febri, diarrhœa ſupervenit; præcordia intenduntur, ven-

ter tumeſcit, & aqua extremitates inferiores ſubit. Die decima quinta, dato purgante pharmaco, ex rhabarbaro, & cremore tartari compoſito, venter, & pedum œdema evanuerunt. Die decima ſexta febris levatur; ſubſequenti vero laborans tota frigore contremuit, febriſque iterum acceſſit. Quod cum animadverterem, ſtatim operam dedi, ut inter opportunam febris remiſſionem corticis peruviani unciam caperet. Revera hac aſſumpta, febris mollitur, & aliquid integritatis ſpatium præſtat. Continuato corticis uſu, acceſſiones jam inter ſe diſtinctæ, magis cunctantur, febris quam primum profligatur: ſicque ægrotans in priſtinam vindicatur ſalutem.

Quæ in hac hiſtoria notatu digna occurrunt, ſunt variolarum cum febri conjunctio, quæ tunc temporis Arſagi velut epidemice inter puerperas graſſabatur: id quod oratione inferius complexuri ſumus. Variolæ ipſæ, quæ inter morbum decurrunt, propria ſtadia exolvunt, totumque morbum modo exaſperant, modo levant. Et tandem morbi dominans indoles, & difficilem, & longam ſolum medicationem admittens, quæ tamen in hac ægrotante ſolo diluente antiphlogiſtico, ut ajunt, & antiputrido potu multa copia hauſto, & uno pharmaco purgante aſſumpto, promptius per alium morbum ad optimum finem perducitur.

HISTORIA IV.

Constitutionis epidemicæ.

FEbris gastrica anno MDCCLXXXVI., & initio octagesimi septimi inter puerperas irrepsit; nullaque, quam ego sciam, hanc effugere potuit. Ingruebat hæc modo prima, modo secunda, modo tertia a partu die, raro longius interposito intervallo; ita ut febris lactis ab assidentibus diceretur. Sed calor foris acer, & pungens, intus molestus, qui nonnunquam fervido halitu ex ore, & naribus prorumpebat; corporis jactatio, virium languor & imbecillitas, pulsus frequens, & concitatus aliam omnino, quam lacteam febrim prænunciabant. Quibus cum modo citius, modo tardius accederet præcordiorum distentio, ventris perturbatio, dolor, tumor, carnium pallor, lassitudo, & diarrhœa; quæ nisi a perversa medendi ratione detorqueretur, quotidie insequebatur; febrim gastricam esse satis superque compertum erat. Nisi vero alvi dejectiones accommodatis pharmacis incitarentur, aut post paucos dies per se cohibebantur, aut insciis ægris emittebantur; sicque sæpe multa in abdomine congesta illuvie subsistebat: lochia supprimebantur, venter prominebat, respiratio ægre trahebatur; & si quid in circulum deveniret, reliquam humorum partem evertebat, labefactabat, pessundabat. Quare aut quæ nullam medicinam facere paterentur, aut

quæ malo sidere ductæ in ineptum medicum inciderent, aut quæ sibi temperandi ex mala vivendi ratione non curarent, si superstites erant post vigesimum quintum, aut trigesimum diem, in morbum chronicum ruebant.

Febris ut plurimum in quotidianam intermittentem, cujus accessiones se jungebant, commutabatur; & ita ægro corpori adhærescebat, ut nullis remediis vinci posset; venter molle excrescebat, extremitates inferiores tumebant, dum reliquum corporis supra thoracem macie exesum non ali videretur; donec post binos, tresve menses morbo exactæ diem extremum morte conficerent.

Alius fuit cujusdem Carullæ eventus; in hac diarrhoea jam colliquescens nunquam cesserat; ipsa cibo pleniori, & impari continuo utebatur, tamen magis emaciabatur de die in diem, & eo usque defecit, ut quasi exsucca interiret. Sed non modo morbi exitus in aliquibus dissimilis erat, verum etiam principium. Aliæ enim ante partum febri intermittenti, aliæ spirandi difficultate laborabant, qui morbi aut in putridam febrim desinere, aut ipsi se adjungere solebant, & curam complicatam, difficilioremque faciebant; ut videre est in superius enarrata historia. Omnes etiam, quæ ex hac febri evaderent, maxime erant in hydropem proclives; præsertim si alium morbum hujusmodi febris consecuta esset.

Inter autem cujuscumque modi exempla, quæ mihi ob oculos obversabantur, quamquam

omni studio, & diligentia animadverterem, quæ morbi mutationes diebus criticis contingerent: nihil tamen novi hisce diebus naturam moliri, nihil eorum occurrere, quæ ab Ippocratis doctrina de diebus criticis accepimus, percepi. Quæ per alvum excernebantur, erant inconcoctæ, & biliosæ materiæ, sæpe colorem in cassum mutantes, ita ut ex istarum inspectione, nullum tutum, securumque judicium ferre potuisses, nisi per easdem jam morbum levari adverteres. Jam vero nihil perpetuum fuit etiam relate ad urinas. Nam modo aquosæ, modo spissæ, & croceæ, modo sedimentum deponentes, modo non, modo paucæ, omnibus morbi temporibus emittebantur; quin nulla inde certa prognosis extricari posset: quam tamen si efformare placuisset, ex ægræ constitutione, ex morbis prægressis, ex faciliori, aut difficiliori ejusdem ægræ indole, ex medico curante; uno verbo, ex rerum statu interno, & externo elicienda erat.

Elapsis decem mensibus, quibus hujusmodi febris tenuit, adventante julio anni octogesimi septimi remiserat: hanc illico subsequutus est intestinorum labor, qui omnes pene Arsagi agricolas occupavit. Enim vero ex septemcentis agricolis, quibus locus Arsagi componitur, neque centum fortasse incolumes perstiterunt: alii diarrhœa, alii cœliaca passione, alii lienteria, alii dysenteria laborarunt. Omnes tamen nulla adhibita medela, nullo vitæ regimine convaluerunt: & si qui opem

medici postularunt, erant ut plurimum ætate provecti; iique etiam cuncti evaserunt, citra adolescentulum annos quindecim natum, qui male se habens nullisque parens medici consiliis, occubuit. Medendi ratio, qua ego maximo commodo tunc temporis utebar, erat a Zimermanio indicta, in libro, qui inscribitur. *Traitè de la dysenterie.*

Autumno febres intermittentes solito pauciores fuerunt, eæque a saburra in primis viis coacervata nasci videbantur, quæ reliquum fortasse dominantis epidemiæ censeri potuisset. Hinc facili negotio sive vomitum ciendo, sive alvum solvendo abigebantur.

Neque prætermittendum est, & ante quinque annos aliam epidemicam putridam febrim Arsagi locum habuisse, quæ & juniores, & valentiores agricolas de medio sustulit. Hæc præmittenda esse operæ pretium duxi, antequam ad epidemicæ febris descriptæ naturam explicandam devenirem; sicque magis magisque, quæ esset, appareret, comprobareturque. Nunc redeamus jam, unde discessimus.

Febrilem fomitem, aut quid aliud noxii in hac ægritudine in vena portarum subsistere, foveri, verti facile conjicere est. Cum vero hujusmodi vena propagines suas visceribus omnibus nutritioni dicatis impertiatur, ut sunt jecur, vesicula fellis, ventriculus, lien, pancreas, omentum intestina, & mesenterium, quæ diversas denominationes sortiuntur ab hisce visceribus petitæ, in quæ se exporrigunt,

expanduntque; cumque sit inter anfractus hujus generis vasorum, ubi secretionis succi gastrici opificium peragatur; hinc febris gastricæ nomen ab ipsorum gastricorum humorum vitio desumptum est: quod profecto apte accommodateque morbi indolem uno verbo & comprehendit, & demonstrat. Nam ibi retardato, aut quocumque modo everso humorum decursu, istorum indoles vitiatur: cum vero in primis viis coacerventur, subsistant, stagnent; hinc magis magisque ibi pervertuntur, depravantur, corrumpuntur. Quamobrem facile unusquisque intelliget, unde vomitus, nauseæ, præcordiorum distentiones, ventris perturbationes, diarrhoeæ, & omnia denique, quæ hujusmodi morbos consequi consueverunt, originem duxerint. Accedit eodem, quod morbi illuvies in imo ventre congesta subsistens abdominis viscera lacessit, & irritat; irritatione vero eo remeare, et confluere humores ex toto corpore necesse est. Quare humores omnes urinæ, lochia, lac quoque aut retropulsum eo deveniet, aut ejus secretio præpedietur, aut quocumque modo deturbabitur: quod unde proveniant & mammarum exinanitio, & ventris continuo subcrescentis moles, & reliqui corporis macies, aperte demonstrat.

Superius allata, & faciliorem admittunt morbi jam existentis explicationem, & uniuscuiusque captui accommodata sunt. Verum quomodo quis conjiciet, unde hujusmodi morbosa constitutio eveniret, quam insecuta

ſecuta eſt inteſtinorum affectio; ſi ita licet uno verbo comprehendere diarrhœas, teneſmos, dyſſenteriam, lienteriam, quibus pene omnes Arſagi incolæ labente æſtate prehendebantur? Nonne morbi materies in vena portarum, inque ejus abditis ambagibus deliteſcens cauſam hujus epidemicæ conſtitutionis prœgumenam efficiebat, procatarticam vero partus? Nam partu effuſo puerperarum ventre, eo ocyus humores manant, confluuntque, & ſanguinis decurſus permutatur. Ex qua humorum everſione latentem fomitem citius extricari, in ſanguinem devenire, & ad cor illatum, febrim accendere potuerit. Sicuti vero cauſa procatartica in reliquis aberat, & interea morbi fomes in vaſis antevertebatur, a viribus animalibus corrigi, & emmendari debebat, antequam ſe exereret. Hinc & tardius morbus prodiit, & ipſius materia, contracta via, in inteſtinis deponebatur.

Adhuc ratio inquirenda reſtat, cur morbus diu lateret; & cur citius prolatus in puerperis, & magis protraheretur, & morbum difficiliorem, periculoque plenum faceret. Nam totius populi inteſtinorum affectio, & labor emergere cœperunt interpoſitis aliquibus menſibus inter hanc, & puerperarum febrim.

Quod ad tardam morbi evolutionem ſpectat; nemini mirum erit, ſi in mentem revocet phtiſim, variolas, pellagram, omneſque hæreditarios morbos diu in corpore deliteſcere antequam exurgant. Sicque conſtitutiones epi-

demicæ, quæ identidem revertuntur, modo citius, modo tardius erumpunt juxta vim, rationem, & cujusque generis caussarum accessionem. Nec longe a vero aberrabis, si inquies horum morborum miasma in vasis minimis nidulari, ac foveri; & quamprimum in venæ portarum vasa majora invadit, febrim concitare. Cum vero humores huc delati pigriorem motum acquirant; diu inter ipsius venæ ambagibus immorentur, & antevertantur opus est, antequam corrigantur, & apti ad excretionis vias subeundas reddantur: id, quod morbum longiorem faciebat. Quod si cordis vires, aut quæcumque humores moventes deficerent, & plus justo perniciosi humores detinerentur; vasorum robur, & fabricam labefactari necesse erat. Et hinc hydropes cachochiliæ morbi chronici præsertim frigidi ab antiquis dicti; quorum sedes in hisce secundi generis, ut ajunt, vasis recondita est; & cujus rei exempla habemus in supra allatis morborum historiis. Morbi autem properationem, & difficultatem in puerperis, in procatartica partus caussa, ut supra exposui, in diversa anni tempestate, & in citiori, non adhuc, ut par esset, castigata humorum morbosorum indole in sanguinem derivatio reponendam esse facile per se patet. Jam vero hæc est caussa, cur in epidemicis morbis, ut primum se inferant, nullis remediis cedant, dum ipsi per positum tempus excurrentes sensim, sensimque malignitatem deponunt, leniuntur, &

ita mitescunt, ut nulla amplius egeant medici ope. Quamobrem finiente morbo honorem multi etiam clarissimi viri inductæ, accommodatæ medendi rationis ad morbum vincendum sibi omnino tribuunt, qui porro totus ad epidemicorum morborum naturam deferendus esset.

Atqui ea intercedit vicissitudo inter epidemicos, et ab anni tempestate genitos morbos, ut aliquando tempestatis morbi vigente epidemica labe, in eamdem omnino desciscerent, & ipsa jam vertente, tempestatis morbi aliquid adhuc epidemicæ ægritudinis retinerent, & inter se se confunderentur. Enim vero febres acutæ, & morbi inflammatorii initio epidemiæ exorti, aut cito citius in putridum morbum immutabantur, aut si & ægri vires, & miasmatis phlogistici indoles imperio dominantis constitutionis resisterent; maxime tamen in putridum propendebant. Quotquot vero febres autumno contingebant, omnes a saburra in primis viis congesta nasci videbantur. Hinc, aut excitato vomitu, si res tulisset, aut repetita purgatione facilius solito curabantur. Ex quibus colligitur epidemicam constitutionem, dum maxime viget, ad se tempestatis morbos trahere; quæ ipsa desistens in temporum morbos desinit; eosque modo in pejus, modo in melius, raro tamen, mutat.

Eo sermone devenimus, ut quæ indicationes, quæ optima curandi ratio esset, exponenda remaneat. Quamobrem & Ippocratica

auctoritate confirmatum, quo vergat natura, eo ducendum, præsertim si materia abundet, & illius diei experientia satius indicatio protinus subtrahendi comperta erat. Alia indicatio erat, apto, accommodatoque potu noxios humores diluendi corrigendi, mobilioresque reddendi. Quibus si tertiam addas, ut aut initio nimis superantes vires deprimeres, aut in morbi decursu depressas erigeres; ita ut tamen non solum vires præsentes emetireris; verum etiam futuras prospiceres & satis ægro provisum, & acuti, sapientisque medici vicibus functus esses. In hisce enim indicationibus rite administratis totius bonæ medicinæ opus continebatur. Quæ in diversis corporibus, & in morbi peculiaribus circumstantiis occurrere potuissent, cum maxime inter se differant, has hic recensere & nimis longum, & fortasse supervacaneum esset.

Quis hunc non esse locum dixisset protinus inter initia vomitionis provocandæ, quæ noxios humores ex ipsis fontibus eliceret, & vacuaret, & omnem in ventriculi capacitate, in ejusve tunicis hærentem illuviem expurgaret; ex præcordiorum membranis, ex jecinore, liene & ex ominis generis imi ventris visceribus eosdem supervacuos humores excuteret, divelleret, eliceret? Sed quod oratione satius comprobatum esse videtur, si experimur, aliquando fallit. Revera in aliquibus primis morbi diebus, & ego, & doctissimus Terzaghi idoneo pharmaco vomitum iterum iterumque

ciebamus; sed morbi progressus immorabatur, totus venter magis magisque prominebat, & tardius soluta alvo, ægri magis periclitabantur. Nam in ventris imo morbi fomes nidulabatur, eo remeabant, eoque rapiebantur humores impuri, & una tantum saluti patebat via per alvum, ut cernere est in quotidie consecuto alvi fluxu. Quare si inflammatorius humorum æstus vigeat, si experientia in epidemicis constitutionibus contrarium doceat, si magna jam irritatio, & multus humorum confluxus in imo ventre occurrat, vomitum movere, præsertim morbo jam provecto, non tutum esse existimaverim. Et si aliquando stat vomitus morbi initio pro omni bona medicina; inconcinne tamen adhibito sæpe occidit; quid quid illi jactitent, quibus in diversis circumstantiis id bene cesserit. Vidi ego puerperam annos viginti natam, cujus quidam medicus Oppidi Gallarati Donzelli curam gerebat. Hæc difficili, & primo edito partu gastrica febri corripitur; venter primis diebus ita excrescebat, ut proveniens moles quasi sub aspectum caderet. In ventre summa irritatio, ibi omnium humorum defluxus: hinc parvæ urinæ, lactis secretio nulla; imo admoto puello mammis, pro lacte sanguinem emungebat; alvi dejectiones aut prohibitæ, aut compressæ nullæ erant. Nihilo tamen secius Donzelli, auctoritate fretus cujusdam auctoris, cujus nomen me fugit (Multi enim, & clarissimi & de medicina optime meriti viri vomi-

tionem puerperis cieri maximo commodo scripserunt; sed id non ita perpetuum esse putes; ut semper expediat) vomitorium præscribit incassum propinatum, nisi immissis ab ægrotante in gula digitis vomitum promovisset. Nam cum major esset in ventre, quam a vomitorio in ventriculo excitata iritatio, vomitorii actio in ventriculo delebatur. Aliquid tamen magnis conatibus evomuit, sed ventrem jam solutum vomitus cohibuit. Interdum abdomen magis magisque tumebat, pulsus debiles, & frequentissimi erant, respiratio nisi erecto corpore duci poterat. Sexta die medicus curans iterum potionem vomitum moventem offert, quam invicta, reluctansque misera haurit. Vix assumpta, summa & animi, & corporis agitatio supervenit, ventris turbatio, dolor, tumor increscunt, pulsus vix percipitur, convellitur, & convulsa, ut prædixeram, imo scriptum reliqueram, nocte periit.

A sanguinis missione morbi natura prohibebat; id tamen non ita constitutum esse putabam, ut aliquando, si res postularet, venam non secarem. Sic quædam Maria Carulla prægnans lateris dolore afficitur, tertio die parit: dolore adhuc acuto, & tussi frequenti, & inani vexatur. Die quinta diarrhœa accedit. Die sexta morbum putridum in propinquo esse omnia signa demostrabant; tamen cæsa vena, & ante, & post partum maxime juvabat. Neque hoc solum liceat in medium adducere exemplum, in quo morbi in putridum

ſummopere proclives morbi inflammatorii ſyntomata præ ſe ferebant. Nam aliis abundamus & in febri noſocominali, & in aliis epidemicis conſtitutionibus. Erant revera aliquæ, quæ febri prehenſæ, magno æſtu, ac fervoris incendio torrebantur; iſtæque ſanguinis detractionem facile ferebant: quod illorum opinioni favebat, qui putridum humorum ſtatum quotidie a ſanguinis inflammatorio æſtu excitari, ac induci poſſe opinantur. Niſi tamen inflammatoria ſyntomata ultro citroque urgerent, vena non erat pertundenda. Eritque vere ſapientis medici pendere, utrum magis interſit nimium ſanguinis æſtum coercere, an integras vires ſinere. Jam vero nemo credat velim majorem, vel minorem humorum corruptionem, quæ in hujuſmodi febribus conſequi ſolet, ſanguinis æſtui ſemper reſpondere: id quod hic adnotaſſe ſufficiat. Mala, quæ ex inconſulto adhibita ſanguinis miſſione gignebantur, erant morbi difficilior reſolutio, alvi minus utiles, fœtidiores, & inopinate effuſæ dejectiones, hydrops, criſis in alium diuturnum morbum, mors, &c.

Id cui ægrotantes difficillime aſſentiri patiebantur, primum erat accommodatam inediam ſuſtinere; tum apta pharmaca aſſumere. Viget enim inter ruſticos opinio, & lapſum ventrem pleniori cibo reſtituendum, & omnes medicinas puerperis detrimento eſſe. Omnem ergo operam impendidi, ut hujuſmodi vincerem opinionem, meaſque adjuvabat curas do-

ctus, diligens, Præpositus Arsagi Bellottus, cujus studia erga populum sunt omni commendatione digna. Quamobrem magnum erat opus laborantes mulieres, accommodata dieta continere. Alvum deinde modo sinebam, modo movebam, & interdum curabam, ut ægrotantes in cubiculum, & apertius, & latius deportarentur; & ut quantum potus ferre possent, haurirent. Aliquando ad alvum ducendam satis erant injecta clysteria ex malva; aut aqua epota cum syrupo malorum medicarum, & cremore tartari. Quibus non ut par est proficientibus, pulpam tamarindorum, cremorem tartari, rhabarbarum, tartarum vitriolatum, febrifugam Riverii, & alia hujusmodi præscribebam. Animadvertendum est, quod si quis acrioribus pharmacis alvum laxantibus uteretur; aut inde nimis fusa alvus morbum non levabat, viresque eo magis labefactabat, aut jam soluta comprimebatur.

Potui ordinario inserviebat decoctum hordei, aut avenæ, aut secalis, aut acetosæ, aut graminis, & oxymele simplici, & syrupo malorum medicarum, & oxysaccharo edulcatum, cui mane, & vespere immiscebantur una, aut binæ cremoris tartari drachmæ. Si vero ægrotantes a dulcibus fastidirentur, quod sæpe puerperis accidit, etiam malæ opinionis causa, qua imbutæ sunt, *dulce tunc temporis nocere*, acetum aut malorum medicarum succum decocto infundebam. Aliquæ multum ferebant potum, & ultra centum decocti uncias una quoque die

hauriebant, & iſtæ facilius quidem curabantur; aliæ a multo exhibito potu, & opprimi, & lædi potius videbantur, nec citra quadraginta uncias ſuſtinere ſine incommodo pollebant; idque in his præſertim locum habebat, in quibus vires jam deerant.

Moderandum erat inter hæc, ut vires conſerverentur; id quod niſi idonea dieta, & præſertim inter initia, optima inſtituta curatione aſſequi poterat. Nam ſæpe obſervavi, morbi initio aut non, aut temere emiſſo ſanguine, aut etiam plus quam par eſſet detracto, vires maxime abjeciſſe. Item aut propinata intempeſtive medicina purgante, aut non data, ſi res poſtularet, aut minus accomodata exhibita ſemper cæteris paribus vires proſternebat. Neque minus linteorum mundities, corporis nitor, cubiculum & amplum & apertum vires recreabant; quo auxiliorum genere ut plurimum agricolæ vacant. Majus ſtudium, majorque cura erat impendenda ad depreſſas vires reficiendas, erigendas. Nihil enim magis cordis & muſcularis fibræ irritabilitatem ſubtrahit, quam humorum putridus ſtatus. Imminuta vero cordis vi, humorum progreſſus retardatur; hinc & difficiliu svaſa ſubtiliora permeant, & excernuntur: immo remorando putridiores evadunt, irritabilitatemque magis magiſque detrahunt, quæ rerum viciſſitudo mortem neceſſario infert.

In hiſce circumſtantiis optimam opem veſicatoria ferebant, quod experientia & iis, qui bo-

na, ed iis qui adverſa fortuna utebantur, ſatius confirmabatur. Enim vero Urſulam Carullam adhuc juvenem temperamentum bilioſo-pituitoſum ſortitam hac febri laborantem die quinta inviſi; ſæpiſſime alvum deponebat, pulſus frequentiſſimi, & debiles, hypochcondria prominebant, ventris dolore vexabatur, cujuſcumque cibi ipſam tædebat, viribus prorſus deſtituta erat, animo multoties linquebatur. Aquam frigidam pro potu ordinario præſcripſi acido citri, & cremore tartari acidulatam; tum uncias binas pulpæ tamarindorum; dein clyſteres ex chamomilla. Die ſexta, rebus ſic ſtantibus, de veſicatoriis admovendis ſermonem facio. Ægrotans adverſatur, aliumque prius conſulit medicum. Adit quidam *Bona via*, me annis quaſi triplo major, diſſentit; ideo curam ſuſcipit. Ego modo ſpectator aderam. Clyſteria mane ex decocto ſem. lin., veſpere ex lacte injici jubet: ova pro cibo, jura pro potu ægram aſſumere commendat. Si animus deficiat, detur cochleatim hujuſmodi miſtura. R. aquæ matricariæ unc. 5, confect. alcherm. ſcrup. 11., tinctu. caſtor. drac. 1. Ut vero alvus aperta ſervaretur, capiat pulp. tamarind. drac. 1. cum pulvere citri g. 5. fiat bol. Interdum venter & ſemper magis elevabatur, & dolebat; vires quotidie excidebant, & octavo die alvi dejectiones comprimebantur. Die ſubſequenti lingua antea ſemper albida, nunc naturali ſimilis fit, & ventris perturbationes ſine ratione ceſſabant: tunc & medicus curans, & miſera cubans vana

ſpe conſolatur ſe valitudinem quam primum recuperaturam eſſe. Nam cætera malam abibant viam. Die decima alvum inſcia aliquando dejicit, & peſſime totam hanc, & ſequentem diem trahit. Die vero duodecima diutinæ ægritudinis cruciatibus prope enecta, animam corporis vinculis intempeſtive expedivit. E contrario commoda, quæ in hujuſmodi caſibus ex veſicatoriis provenire ſolebant, erant in primis virium refectio, ſpaſmorum ſedatio, humorum, & fortaſſe etiam materiei phlogiſticæ derivatio. Revera ut primum veſicatoria cuti applicerentur, pulſus citiſſimi quotidie remorabantur, debiles, & profundi revocabantur. Cruribus vero admotis aliquando dejectiones nimiæ, hinc aut inanes, aut malæ continebantur, hypochondria elevata ſubſidebant, pulmonis actio impedita expediebatur. Quos bonos uſus an fibrarum irritatio? An alcali ex cantharidibus evolutum in ſanguinem pervadens? An humorum confluxus? An ſubſtantiæ proſilientes? An materies phlogiſti reverſio, caloris materiæ liberiorem locum ſinens? An ex his aliqua? An omnia ſimul præſtarent? Non tam facile cognitu eſt.

Cardiaca ut vinum, camphora, liquor cornu cervi ſucin, aquæ aromaticæ, liquor mineral Hoffmani, aromaticæ confectiones, opium, & alia hujuſmodi ſummopere opitulabantur. Mihi tamen cordi erat, ne propinarentur, antequam ſanguinis inflammatorius æſtus cohiberetur; cujus ratio per ſe patet: neve

si materia citra modum turgesceret. Nam tunc virium dejectio ab ipsius noxiæ materiei copia oriebatur, quas si vindicare volueris, erat subtrahenda. Erant quoque in istorum usu advertenda, ne præcordiorum, & ventris prominentia intenderetur; ne alvi dejectiones plus quam par esset, retardarentur, quod præsertim ex camphoræ usu accidit; ne denique corporis, animique nimiam excitarent commotionem: quæ & facilius puerperis ob nervorum summam mobilitatem usuvenire solet, & est summopere in his evitanda.

Quam in dissimilibus syntomatibus, quam in diversis supervenientibus morbis medicinam facerem, & nihil est adnotatu dignum, & ut variæ circumstantiæ; sic tot mutationes occurrebant. Quare & nimis longum esset hic omnia adamussim recensere, & fortasse supervacaneum.

HISTORIA V.

QUædam Magnola mense martii anni 1786. Oppidi Sommæ juvenis, & temperamento sanguineo donata, septimum graviditatis mensem agens, lateris dolore afficitur. Secunda morbi die ipsam invisi, statimque sanguinis emissionem præcepi; quam iterum iterumque diebus subsequentibus repetendam esse optimum duxi. Dolor tamen ita increbuit; ut & tussim in pectore premeret, & nisi erecto thorace, & ægre spiritum ducere pos-

ſet. Cumque etiam attactu perſentiretur, parti dolenti veſicatorium admovendum eſſe exiſtimavi. Quinta die applicato, poſt decem horas partum in lucem edidit, qui poſt duos dies emoritur. Sexta die pulſus erant citiores, & duri; dolor adhuc permanebat, tuſſis aſpera cum materiæ lymphaticæ puri ſanguinis mixtæ exreatione: hinc curavi, ut vena quarta vice ſecaretur. Interdum hordei decocto, in quo aliquid oxymelis ſimplicis infunderetur uti perſequebatur. Septima die dolor, febris, & omnia inflammationis ſyntomata molliuntur; modo tuſſis, ſed pene inanis reſtat. Octava die mammæ concidebant, lochia morabantur, lingua antea naturalis albido muco obduci incipit, vires, quibus ſemper conſtabat, nunc deficiunt.

Aliter ergo erat medendum. In primis operam dedi, ut pulpa tamarindorum, & cremore tartari alvum ſubducerem; tum ut ipſa aperta maneret, immergendo potui ordinario, & terram foliatam tartari, & cremorem tartari, & alia hujus generis. Qua curandi methodo conſecutus ſum, ut omnia gaſtricæ febris ſyntomata die vigeſima totius morbi deſinerent, & omnino evaneſcerent. Tuſſis, quæ inanis, & aſpera quotidie tenebat, frequentior, & humida fit, materiemque catarrhalem excutit, ſemper & copia, & malo odore ita excedentem, ut adſtantes omnes, & ipſam laborantem, & me non tam facile faſtidientem ad nauſeam moveret. Interdum lenta fe-

bris vespere paullum crescens semper inhærescebat. Rebus sic se habentibus interfuit doctus, & expertissimus Medicus, & Chirurgus nosocomii Varisii Carolus Zanzi, qui una mecum sentiebat, in id omni studio incumbendum esse, ut morbi, qui ex pulmonum labe oriri videbatur, curam gererem. Die morbi vigesima nona hora, qua febris augeri consueverat, aliquid frigoris inter cutem ægrotans subire persentit, post sitit, calet. Die trigesima cupido, & intentissimo animo expectabam, quid accideret; febris enim continuo occupabat. Vespere, quæ die præcedenti adnotaveram, eveniunt. Tunc certior factus unciam extracti corticis peruviani in aqua chamomillæ dissoluti duodecim horarum spatio assumendam obtuli. Die trigesima secunda febris lenitur, pectoris irritatio minuitur, excreatio, & minor, & melioris notæ excernitur. Die subsequenti eamdem offero medicinam: jamque febris aliquod integritatis spatium præstat, cæteris bene cedentibus. Tandem die trigesima quinta, licet emaciata, & debilis, se melius habere sentit: febris omnino deserit, nihilque aliud reliquum erat, nisi ut interposito aliquo tempore reficeretur; quod & sibi temperando a pravo, & bono utens victu facile assecuta est.

Quæ in hac historia notatu digna occurrunt, sunt superveniens morbus putridus morbo pectoris inflammatorio, dum hic suppurationem moliebatur. Tum suppurans in pectore

materies, tamdiu latens, donec morbus putridus finem faceret; quæ tandem tam male olens ex pectore excutitur, & erumpit. Præterea nullam tanta ventris irritatio, materiei in pulmonibus coercitæ, ac fotæ derivatione opem tulit. Ex quibus colligitur 1°. Sæpe morbi inflammatorii finem esse putridi initium 2°. Quam sint puerperæ in putridam labem proclives 3°. Pectori morbos aut nunquam, aut raro finiri per alvum 4°. Immo sæpe periculosiores fieri.

Multa de tot morborum vicissitudinibus ultro citroque disputari possent; sed nunquam huic epistolæ finis esset. Tibi vir celebr. hujusmodi observationes gratiores futuras esse spero; præsertim cum si quid boni in hisce inest, non prætermissum mehercle fuit in tuo de fœminarum morbis opusculo. Vale.

FINIS.

JOSEPH CERRI

OPPIDI SOMÆ MEDICI

DE


ANTIQUORUM, RECENTIORUMQUE

CIRCA FEBRIM PUERPERALEM

DOCTRINA

DIALOGUS.

Sibi, & aliis.



IN

ANTIQUORUM, RECENTIORUMQUE

DE PUERPERARUM FEBRIBUS

DOCTRINAM.



D.

Cunctis igitur attente consideratis, cum quarta jam a partu die lac in mammis deficere animadvertatur, cognoscitur inde ægram vera a lactis deviatione puerperali febri laborare (a).

C. Febri quidem laborat, quam si puerperalem nuncupare mavis, hic non contendam. Ast febrim hanc a lactis *aberratione* proficisci, ut ipse tanquam ex Tripode Delphica decernis, omnino refello.

(a) Hæc sunt ipsissima adversarii verba (vid. §. 8), eaque, ut retineam, quotidie studebo. Sed differendi ratio postulat, ut sæpe ipsis ad amussim adhærere nequeam: tunc & auctoris opinionem omni cura persequar, & qua polleo locutione exponam. Quare si quid in hoc dialogo D.... non ut par est eleganter, perpoliteque eloquitur, id, ut meæ rudi dictioni lectores tribuant, oro, exoptoque.

D. Quid ais, medice Cerri? inficiaris hanc febrim ideo puerperalem nominari, quia a lactis aberratione gigni solet (*a*)?

C. Sic revera opinatur tuus Doulcetius, sic Doubletius. Nec mirum! Galli enim omnes post Puzosium (*b*), & Leuretium (*c*), & multo magis post celeb. le Roy (*d*) in hanc descenderunt opinionem; quibus accesserunt etiam doctissimi viri Selle (*e*), & Gruner (*f*); quibusve aliquantulum favere celeberrim. Swietenius visus est (*g*); verum bona pace a me scias velim, mi Donzelli, hujusmodi sententiam jam jure merito obsolere cœpisse.

D. Quibus nam innixus principiis Doulcetianæ, aliorumque clarissimorum virorum, quos nominas, doctrinæ adversaris?

C. Iis præsertim, quibus usque a mea adolescentia docente celeberrimo Burserio, imbutus fui; quæque & optimorum scriptorum auctoritate rata (*h*), & mea experientia confirmata, nulla in posterum ab animo ætas delebit.

(*a*) Meum adversarium mehercle latet alias, citra eam Doulcetii, in quam jurabat, sententias de hujusmodi febri esse. Nam omnibus, qui me dignoscebant, obviam contingentibus festivus palam faciebat, me latere febris puerperalis naturam, quia non a lacte devio derivare sentiebam.

(*b*) Traité de l'accouchem. Paris 1759.

(*c*) L'art des accouchem.

(*d*) Prem. Mém sur le fièvres aigues, pag. 202.

(*e*) Rudiment. pyretolog. Berolini 1786, pag. 283. & seqq.

(*f*) Differt. de feb puerper. Jen. 1781. Vid. Fuchs.

(*g*) Comment. in Boerhaav. aphor. 1329.

(*h*) Celeberrimi Commentariorum de rebus in scientia naturali, & medicina gestis scriptores (liber qui ita percellit, ut eo nihil melius in medicina expectari possit), de Burserii circa febrim puer-

D. Sunt ergo boni rerum medicarum scriptores, qui Doulcetianæ doctrinæ non acquiescant, imo ab ea discrepent? Quomodo id fieri potest? Nonne, si deficiente lacte febris excitatur, caussa febris unicuique patet, in promptuque est (*a*)?

C. *Miror*, inquit celeberrimus Frank nulli hisce temporibus secundus, *egregium Selle Gallorum de lactis metastasi, ut proxima febris puerperalis caussa opinioni accessisse* (*b*). Laudatus vero Burserius ait: *Tanta est hac de re persuasio vulgi, ut quidquid adversi puerperis obveniat, id non dicam a medicis, & chirurgis, sed ab imperitissimis aliis omnibus, continuo huic caussæ adscribatur* (*c*). Rem ultro profert Meckelius, qui scribit: *Sæpius mihi in praxi visum est ab aniculis, & medicastris absque fundamento lactis in sanguinem regressum, tanquam caussam morborum fere omnium, secundum illorum sententiam accusari, qui puerperas post puerperium infestant* (*d*). Quibus ad-

peralem tractatione ita habent: *Noster Burserius de febri puerperali dixit modeste, simul vero eximie dicta sunt, adeo ut vix scriptorem ullum legerimus hactenus, qui tanta modestia, tamque severe argumenta omnia pugnantia, & repugnantia congesserit melius, discusserit accuratius, justioresve ex iis conclusiones deduxerit.* Quibus adde; quæ conclusiones, & Doulcetii theoriam jam excussem, & in diem eventuram Doulcetio-Donzellianam omnino, fusdeque verterent. Vid. citat. Comment. volum. 29., Pars II, pag. 289

(*a*) In tota adversarii apologetica epistola nullius præter Doulcetianam doctrinæ meminit; nec aliam ipsum caluisse videtur.

(*b*) Delectus Opuscul. medicor. vol. V, pag. 35.

(*c*) Instit medic. practic T. I. P. II. § 460.

(*d*) Nov. experim, & observat. de finibus venarum, & vasorum lymphaticor. Berolini ann. 1772., pag. 57.

de, Hippocratem decem puerperarum historias puerperali febri detentarum *laconice*, & diligenter ut solebat in epidemicorum libro primo, & tertio exhibentem, nunquam, aut ultro fluentis, aut regressi lactis mentionem fecisse: cujus rei nec Galenus, nec Valesius, nec alii optimi, antiquique scriptores ibi Hippocratem commentantes meminerunt. Quod si inter veterum exempla versari tibi displicet, recentioribusque magis delecteris, Angli, Itali, Germanici pene dixerim omnes, qui speciatim hisce temporibus de hac febri disseruerunt, non a lacte, ut tu, tuique Galli contendunt; sed ab aliis profecto caussis febrim hanc cieri aperte docent. Verum abs te sciscitor, quo nam devehatur hujusmodi lacteus humor, permeat ne in sanguinem? an ad uterum fertur?

D. Cum clariss. Doulcetio in abdomen cum vertere opinor (*a*).

C. Flagito nunc, id enim ex tuo edito libello expiscari non potui, flagito inquam utrum febris eveniat humore lacteo in sanguinem invaso, an in abdominis cavo effuso?

D. Edepol id non me docet meus Doulcetius: tamen facile unusquisque percipiet febrim exoriri, ut primum lacteus ros in sanguinem subit, irreptus cor irritet; & eo ma-

(*a*) Paragrapho 10. major ventris tensio, magnum ei lactiginosæ stasis metum intulit. Paragrapho 41. melius idem apparet.

gis crescere, si in abdominis cavo reversus, ibi hiet, moretur, coeat (*a*).

C. Atqui nec a lacte in sanguinem remeante febris hæc accenditur, ut nunc expendemus: nec porro materies in abdominis cavo fluxas lac vitiatum esse, aliquis nisi ex præconcepta opinione tuto autumabit, idque inferius discutiemus. Minime me latet hisce præsertim principiis Gallorum doctrinam, quam tu naviter prosequeris, niti, quibus eversis tota labatur fas est: sed non iniquo animo feras suadeo, me tibi meridiana luce clarius, & ea esse futilia, & flocci pendenda, demonstrare. Chylus est substantia quasi lactea, ut docent Entius, Horstius, Veslingius, Deusingius, & præ primis Asellius, qui ait: *Nam verissime ut suo loco constabit, chylus per venas lacteas labitur: verissime idem ex intestinis ab iis lacitur, hoc est sorbetur, exhauriturque; denique non lac ipsum magis simile lacti est, quam liquor, qui in illis cernitur* (*b*). Cui Craen adhærens sic habet: *Ex chylo fieri lac audacter pronunciamus: & chylus clare loquendo nobis est lac* (*c*). Huic opinioni non defuit immortalis Boerhaave, quem omnes recen-

(*a*) Si febris caussa proxima est velocior cordis contractio, ut cum Boerhaavio omnes practici retinent; necesse est lac in casu, cor irritare, ut febrim faciat Hac interrogatione fit aditus ad evertendam Gallorum doctrinam

(*b*) De vas. Lact's Mediolani apud Bidellium, pag. 26.

(*c*) De homin. Neapol. 1722., pag. 265.

tiores secuti sunt, inter quos Colombier (a); & Hallerus ipse enumerantur, quorum secundus, physiologorum facile princeps, inquit: *Eminus chyli cum lacte summa similitudo ex calore, ex sapore, ex mutationibus utriusque humoris spontaneis, absque fere cogitatione se offert cogitanti* (b). *Sed hisce positis*, insurgit adhuc celeberrimus Burserius, *& demonstratis peterem adhuc, cur chylus, sive humor lacteus, qui quotidie in homine & ductu thoracico, aliisque etiam viis in sanguinem influit, & in eodem retinetur innoxie, solis demum puerperis retentus in sanguinem, ut contendunt, tam insolenter, & securiter noceat* (c) (d)? Nonne

(a) Del latte considerato in tutti i suoi rapporti. Parigi presso Didot il giovane ann. 1782. Vide Avvisi sopra la salute umana Num. 38., & seq. ann. 1783.

(b) Physiol. magna lib. 28 sect. I. §. 15., & alibi.

(c) Lib. cit. §. 462.

(d) Omnes fere antiqui considerata uteri cum mammis communicatione, quam jam Hippocrates in multis libri V. aphorismorum locis, nec non in secundo epidemic. libro, & alibi, ut videre est ex celeberr. Colombier (cap. V.), ob oculos posuerat; quamque ex Hippocrate Celsus sic adnotaverat: *Si lac in mammis profluit imbecillum est, quod intus gerit. Duræ mammæ, sanum illud esse testantur* (lib. 2. cap. 7.); sanguinem ad uterum alendi fœtum caussa appellentem, post ad mammas reversum in lac commutari sentiebant. Opinionem hanc inter multos retinuerunt Riverius, qui ait: *Lac oritur ex sanguine ab utero ad mammas refluxo* (lib. 25. cap. 24). Sylvius de la Boe (lib. 3. cap. 10), Adrianus Spigelius (De corp. fabric. editio Bucretii Venetiis. pag. 291.) multiplici sermone idem suadent, quos satis sit nominasse ad rem modo denotandam. Alii, ut Gratianus, & Castellus, referente Craaen (De homine, pag. 265.), lac ex chylo, & sanguine ad mammas vecto elaborari crediderunt. Postquam vero Italus noster Asellus Cremonensis, vasa lactea ann. 1622. detexit, ipsorumque historiam ann. 1627. typis Mediolani apud Bidellium cl. Tadinus, & Septalius mandarunt lac ex chylo omnino comparari constitit. In diversam iterum auctores cogitandi rationem processi (quod cum longum sit excutere, commemoravisse

verisimile est antiquos, qui omnium morborum strues ex acri humorum vitio repetebant, lac tamen innoxium existimavisse, quia humor blandissimus est? Hippocrates ait: *Dulcissimus enim humor ex cibis, ac potibus, ad mammas vertitur, ac exsugitur* (a). Accedit eodem, quod lac sæpe sæpius affatim in mammas proveniat, secernaturque, & tamen puerperæ in hujusmodi febrim incidant. Cujus rei exempla non pauca mihi & in constitutione epidemica Arsagi, & alias ob oculos obversabantur; quæque tibi visenda præbere possum. Multa quoque ab Anglis, eaque luculentissima; multa ab aliis in medium proferuntur exempla, quorum modo referam: Frank celeberrimus docto Nolte assentiens inquit: *Vidi certe puerum plenis buccis ubera suxisse lacte plenissima matris, quæ post paucos dies a febri puerperali fuit extincta* (b). Burserius vero sic habet: *Lac quandoque copiosum, presente hac febre, in mammis secernitur, eoque mammas ad postremum usque morbi stadium manifestissime turgere* (c). Quis unquam dixerit in hisce

---

sufficiat): aliqui cum Hippocrate, qui de natura pueri sic loquitur: *Fœtus trahit enim quod dulcissimum est in sanguine ad se se, simulque etiam lacte modice fruitur* (mihi pag. 15.), lacte educari in utero fœtum voluerunt: lacteisque vasis uterum inspergi contendunt. Alii nulla prorsus vasa lactea utero naturam largiri aperte demonstrant, & aliter fœtum in utero, aliter dum partus reciprocat vivere, ac enutriri ferunt: neque ideo necesse esse scribunt, humores per uteri vasa anteverti, ut ex iisdem lac conficiatur.

(a) Lib. 1. de mulierib.

(b) Delect. opusc. vol. V., pag. 35. in notis.

(c) L. c.

casibus febrim a lacte repulso, lacteisque somniatis stasibus accitam? Quis sanæ mentis medicus, quis chirurghus tam truncus, ac stipes erit, ut hisce æquo animo perspectis adhuc ambigat? Sed quid multa! si febris hæc modo a lacte devio, ut asseris, prodit, ego-tu, nostrique amici, licet non pariant; tamen in febrim puerperalem aliquando incidere possent, quod boni Superi averruncent. Demonstratio facilis est, quam cum Boerhaavio sic exordior: *Solo lacte*, ait, *nutrimur omnes quocunque prius usi fuerimus cibo, prius enim quam nutriat chylus in lac abit* (*a*). Hallerus, ut jam vidimus, ubique idem docet. Swietenius vero, alter ex dignissimis Boerhaavii discipulis, sic scriptum reliquit: *Proprio enim lacte vivimus omnes, ast non separatur a sanguine, & colligitur in mammis semper; sed in gravidis, & puerperis tantum naturaliter hoc fit* (*b*). Et alibi ait: *In pulmonibus lac incipit formari ex chylo*: quam opinionem Colombier omnibus rationum momentis magno physiologo dignis tuetur (*c*). Et id physiologi celebriores, minusque hypothesibus addicti universim hodie docent. Rei veritatem fuse, lateque evincunt virginum, hominumque exempla, ex quorum mammillis provocatis lac prosiliisse, nemo est, qui in dubium collocet. Hip-

(*a*) Prælect. §. 690.
(*b*) Comment. in Boerh. §. 1329.
(*c*) Vid. cap. II. ejus operis de lacte.

pocrates primus hanc rem indicavit: *Si mulier*, ait, *quæ neque gravida est, neque concepit lac habet, ei menstrua defecerunt* (a). Sic ab Hippocrate Celsus inquit: *Quæ neque peperit, neque gravida est, si lac habet a menstruis defecta est* (b). Viros lac aliquando dedisse jam meminerat Aristoteles (c). Hieronymus Cardanus in libro de subtilitate, se hominem vidisse enarrat annos natum triginta quatuor, ex cujus mammis tantum lactis profluebat, ut infantem fere alere posset. Craaen refert *fuisse in Dania familiam, cujus fœminæ etiam virgines, imo etiam mares lac in mammis alebant* (d). Boerhaavius idem affirmat: profert exempla, & in rei veritatem testes appellat Vesalium, Schenchium, Donatum, qui similia viderunt (e). Swietenius habet: *Minus miramur intactas virgines, imo & viros dum famelicis infantibus, & morosis ubera præbuerunt valida, & repetita suctione lac tandem prodiisse*. Neque eventum multo infrequentem esse putes; nam Adrianus Laurentius inquit: *Narrant qui novum orbem lustrarunt viros pene omnes maximam lactis copiam habere* (f). Duernoi apud Russos in virorum mammis sæpe lac inesse scribit (g). Hallerus sexcenta ad-

(a) Sect. V. aph. 39.
(b) Lib. II. cap. 8.
(c) Hist. anim. lib. III. cap. 10.
(d) De homine Neapoli 1722., pag. 665.
(e) Prælect. §. 690.
(f) Oper. anat. Hanoviæ ann. 1551., pag. 398.
(g) Act. Petrop. vol. III.

ducit auctorum loca, in quibus & viros, & virgines lac porrexisse indicatur (*a*). Quæ cum ita sint, nonne si ego, & tu nostro vivimus lacte, sique irritatione ad mammillas fortasse provehi posset; poterit etiam aut ad mammillas accito, aut antea *deerrare*, & hinc febrim tuam puerperalem provocare? Quod mehercle ridiculum esset dixisse; ut ridiculum est Gallorum de hac re opinioni tam pertinaciter adhæruisse.

D. Vera sint quæ tu, & isti tui scriptores loquuntur; sed neque tu, neque illi, si adessent, obtrectare possetis lac defecisse nostræ puerperæ, devium vero alicubi restitisse, & in coagulum abitum, vitiatumque pravos effectus, febrimve aliquando gignisse (*b*).

C. Minime constat in primis de lactis in nostra puerpera ad mammas progressu; quod juxta te paucum, juxta me nunquam apparuit. Non enim satis est eam fuisse puerperam sicuti enarras, ut lac ad mammas procederet. *Sunt autem*, docet Hippocrates, *quæ natura, sine lacte sunt, & quibus lac deficit* (*c*). Et alibi: *Ut plurimum contigit tales mulieres sine lacte esse* (*d*). Benedictus Silvaticus meminit puerperæ sine lacte (*e*). Cl. Burserius inquit: *Anim-*

(*a*) Prælect. in Boerh. Venet. edit. T. V. par. 2., pag. 181. Physiolog. magn. lib. 28. sect. 1. §. 13.

(*b*) Quis non videt hanc accurate auctoris mentem esse?

(*c*) De morb. mulier. mihi pag. 91.

(*d*) De natur. puer.

(*e*) Cent. 4. consult. 59.

advertendum est interdum parciorem lactis secretionem, & proventum in mammis fieri, imo etiam penitus deficere; quin tamen aliquid mali puerperæ subeant (*a*). Sed quid alienis utor exemplis, si iisdem domi abundo? Angela Bonasola florenti ætate, nec non jucundo aspectu donata, quinque enixa est, & nunquam ex ejus provocatis mammillis lac manavit. Pasqualina Messaglia ter pariit eodem eventu. Quamobrem nonne fieri potuit, ut etiam nostræ, aut melius dicam, tuæ primiparæ puerperæ, præsertim pectore male conformato, febri vix a partu submota, purganti exhibito, sanguine, ut ais, ad lac avertendum detracto, lactis secretio in mammis præpediretur? Sed agam tecum liberaliter, hæc missa faciamus, sunt enim tales additæ veritati vires, ut ea undique in hominum animos illabatur. Lac non esse merum chylum, etiam Hallerus assentit, parum vero diferre cum ipso, & aliis superius late, fuseque probavimus. Hinc Gorterius ait: *Lac est humor nutritioni aptissimus secretus, & confectus in mammis, dein emissus* (*b*). Et alibi: *Hinc lactis materia petenda ex assumptis, & propriis humoribus istius corporis, qui uniti subierunt aliquam mutationem in mammis*. Celeberrimus Colombier sic se apposite explicat: *Se tante ragioni impedis-*

(*a*) L. c. §. 463.

(*b*) Medicin. Hippocrat. Neapol. edit. V. ann. 1777. Lib. V. aph. 39., pag. 307.

cono di ammettere la formazione del latte nelle mammelle, non si può negare, che vi si perfezioni per l' ultima separazione, che si prova nelle filiere glandulari (egli crede essere le mammelle composte di glandole conglobate), *e per la sua mescolanza con diverse altre porzioni di liquori, molto analoghi, e che nasce quindi un liquore particolare, che ha tutte le qualità, le proporzioni, e la natura del vero latte* (*a*). Ego quoque hanc fero sententiam lactei humoris opificium ad mammas percolantis, adhuc magis magisque peragi. Mamma enim est docentibus Boerhaaviis, Halleris, Ludwigiis, Caldanis conglomerata glandula, hinc humoribus lacteis per ipsius contortos, longosque ductus se se trahentibus, aliquid accidere verisimile est, perfectiusque elaborari. Difficultatem hanc sensit Andreas Laurentius, quamprimum etiam viris lac in mammas evenisse non negavit; seque expediens propius ad veritatem accessit, dum inter virorum, fœminarumve lac discrimen aliquod intercedere scripsit: illorum enim & serosum magis, & fluidius; harum vero & magis concoctum, & spissius esse dicebat (*b*). Sed tu mi suavissime nihil ex hisce omnibus, nihil Doulcetio-Doubletius, nihil boni cuncti Galli consequi possunt. Jam vero quotidie urgetis febrim ex deficiente in mammis lactis progres-

(a) L. c. cap. 4.
(b) L. c. p. 399.

ſu, & alicubi devio cieri. Ergo per Deum, hominumque fidem ultro citroque elaborari in mammis non potuit, ſi defecit. Ergo iterum reſumo, febris puerperalis non a lacte, ſed a chyli *aberratione* concitari debuiſſet; quod dixiſſe profecto repugnaret, ut luculenter, abundeque ſuperius comprobatum fuit. Neque hic cum aliquibus Gallis regeras, magis eſſe huic febri non lactantes, quam lactantes obnoxias: reſpondet difficultati quotidie laudatus Frank: *Neque fœminæ Inſubricæ, quæ, exceptis ruſticis, filios non lactant, febri puerperali magis ſubjectæ videntur, quam Germanæ matres, quæ ubera proli ſugenda prodeunt* (*a*). Idque quotidiana experientia etiam tuos *inter domeſticos parietes* confirmatur. Neque quid ſimilis mali omnibus animantium ſpeciebus a Linnæo ſub mammalia recenſitis obvenit, ſi aut perditis, aut detractis partibus lac non emungatur.

D. Quo ergo in puerperalibus febribus devehatur, quove vergat hujuſmodi exiſtens ſive lac, ſive lacteſcens humor ego prorſus non intelligo (*b*)?

C. Eo quo pergit chylus. Swietenius Peu fretus auctoritate, lac urina, alvo, perſpiratione abſumi ſenſit. Nec mirum eſſe dicit ſi aliquando lac evadat abſque ejus ulla ſenſibili obſervata evacuatione: *Si conſideremus lac hu-*

(*a*) L. c. vol. V., pag. 34. in notis.

(*b*) Interrogatio fluit per ſe. Nam §. 8. ait, ideo cognoſci febrim puerperalem eſſe quia lac in mammis deficiat.

morem sanum esse, chylum nempe reliquis humoribus mixtum, & una cum his per vasa, ac viscera circumductum, ut post aliquot horas acquirat indolem humorum nostrorum, illisque per repetitam vasorum, ac viscerum actionem penitus assimiletur (a). Nec, si interdum etiam per lochia humorem lacteum, aut quemcunque alium supervacaneum deperdi dixeris, non reluctabo. In utero enim aliqua irritatio ex abrasa placenta fieri debet, qua ibi per *revulsionem* avocari humores posse videntur: præsertim cum sæpe suppressa excretione alia succedat; sic catarrhos diarrhoea, diarrhoeam sudor solvit, & hujusmodi vices eo magis naturaliter inter se mutuantur, quo magis excreta sibi invicem similiora sunt. Quamobrem Mauriceau tuto asserit & in lactantibus, & quibus lac in mammis abundat, cito citius persæpe lochia aut subsistere, aut modice fluere, quam Angli plus justo opinionem defendunt. Quod si ultro rem ferre placet, in memoriam revocentur, quæ de lymphaticorum vasorum molitione in porticu versantes didicimus. Nukius dignus Halleri præceptor duplicem vasorum lymphaticorum seriem in intestinis dispertiri docuit; alia profundius in ipsis intestinis inseri, & recta via ad ductum thoracicum transigere; alia vero inter intestinorum superficiem repere; quæ cum sint am-

pliora

(a) L. c. §. 1329.

pliora illorum *emissaria* vocavit: ita a natura fabrefacta, ac disposita; ut si quæ nimia ad ductum thoracicum chyli affluxio, aut ejusdem gressus præpediretur, ibi immorari, retinerique aliquandiu sine noxa posset (*a*). Doctissimus Rezia, qui dexteritate in anatomicis ita excellit, ut pauci sint hac ætate quibus cum comparetur, post quam sub oculos evidentissime posuit, etiam icone exhibita, vasa superficialia Nukii, verius truncos esse vasculorum profundiorum, quæ per intestinorum superficiem producuntur, præter alios istorum vasorum usus, esse quoque ait: *Glutinosos succos nutritioni supervacaneos absorbere, & ad sanguinem iterum circumagendos revehere, ut ab exhalantibus vasculis primæ eliminentur, alteri vero rursus per idoneos ductus nutriendis partibus dispertiantur; illudque adsevero, hoc esse præcipuum munus, cui præstando, hæc eadem vasa a natura, & fabrefacta, & destinata fuere* (*b*). Equidem verum est hæc melius locum habere, homine incolumi persistente, ut exempli gratia in non lactantibus matribus, tamen non febrientibus; quam cubante: ast si eadem bene perspicies, facile præsertim horum morborum caussas metieris. An istorum absorben-

(*a*) Acad. Petrop. T. I., pag 262. ann. 1726.

(*b*) Specim. observat. anatomic. & pathologic. Ticini ann. 1784., pag 49. Vid. etiam adnot. 38., pag. 71. 72.; Paulus Mascagni a lymphaticis vasis absorbentia constitui etiam nuper docuit. *Prodrome* d' un ouvrage sur le system. de vais lymphat. Sienne ann. 1784. cum iconib. 24.

tium vasorum vis, tum ex compressione ventris prægnantis, tum ex subita iterum dimissione, atque ex humorum cursu aliqua immutatione paululum afficitur? Unicuique cogitanti quanta sit puerperarum in humorum putrida labe propensio, ex qua ipsi hinc illinc stagnantes, vitiatique multiplici ratione tumeant, verisimile esse videtur. Heusonius opinatur ex disruptis lymphaticis vasis hydropes exsurgere, præsertim gelatinosæ materiei digito non prementi cedentis (*a*). Cave tamen, ne dum ego de omnium humorum vitio verba facio tu in lactis aberratione inconsulto omnia commutes. Ceterum satis sit hæc attigisse, ne nullis districta limitibus nimis late disputatio nostra vagetur.

D. A qua ergo caussa hujusmodi febres originem ducunt, si non a lacte (*b*)?

C. Hanc ego suadentibus cl. Cera, & Franchetti, quos in praxi (ut ostentatione aliqua commemoro) sum persecutus, propositionem defendi: *Febris puerperalis, neque ex lacte sanguinis permixto, uti opinat cl. le Roy; neque ex lochiorum aberratione, uti veteres autumarunt; neque ex uteri phlegmone, uti nonnullis recentioribus arridet; neque ex omenti,*

(*a*) Experimental inquiries containing a description of the lymphatic. system. Londini ann. 1774. Opera evulgata post Heusonii obitum a magno Falconar.

(*b*) Sunt verba, quibus me febris puerperalis naturam latere Donzelli dictitabat, atque omnibus persuasum esse volebat: ideo febrim puerperalem nominari, quia a devio lacte concitari soleat.

intestinorumque inflammatione, uti Hulmius, & Leachius existimant; neque uti Whitetus putat ex sanguine putridis effluviis inquinato semper ortum ducit: sed modo unam, modo aliam esse ejus caussam cum illustri archiatro Burserio defendimus (*a*). Cetera Hippocrates in primo de mulierum morbis libro quotidie suppressa lochia, ut omnium morborum pene caussam incusat. De lochiis suppressis mentionem quoque facit historias & Philini uxoris (*b*), & alterius mulieris in thaso decumbentis (*c*), & alterius in Cyzio mulieris, *quæ gemellas filias magna difficultate peperit, & non valde purgata est* (*d*), scribens, quæ vere febri puerperali laborabant. Mercurialis, & Galenus accurate Hippocrati adhærent in commentationibus, quas hisce Hippocratis locis adjungunt, & de muliere, quæ in thaso ægrotabat Galenus inquit: *Emuncto bono sanguine a fœtu necesse est cum lochiis, qui malus restat eliminetur*. Atque hanc cum Galeno, & Hippocrate omnes veteres retinuerunt opinionem, sicque Raymundus Joann. Fortis, Riverius, Willisius, Etmullerus, Sydenhamius (1), aliique credide-

(*a*) Apud Cajetanum Pirola Mediolani ann. 1781.

(*b*) Epid. 1. sect. 3. ægr. 4.

(*c*) Epid. morb. l. 3. sect. 3. ægr. 2.

(*d*) Epid. l. 3. sect. 3. ægr. 14 Galenus, & Mercurialis hanc historiam exponentes, non solum purgamentorum defectum, uterique inflammationem ex laborioso partu; verum etiam pravorum humorum metastasim in caput causantur; unde phrenitica mulier occubuerit. Morbum vero phrenitidem ipse Hippocrates appellavit.

(1) „ Differt. epistol. ad Cole Patavii ann. 1700., pag. 487. „ sic ait: Nonnunquam puerperæ post lochiorum suppressionem in „ febrem incidunt, quæ vel in earum, quæ tunc grassantur epide- „ micorum castra transit, vel ab ea sola pendet origine.

runt, quorum sententias nuperrime Angli omnium doctrinarum apparatu suffulcierunt. Alii ex recentioribus ab uteri inflammatione febrim ortum ducere putant, ut Burthon (*a*), Jonhson (*b*), Denman, Smelie (*c*), Poetau (*d*), Gastellerius (*e*), quibus assensisse Galenus videtur in commentariis puerperæ Cyzii (*f*), qui morbi incrementum uteri inflammationi adscribendum esse voluit. Franciscus Valesius etiam huic opinioni favet, qui in commentatione ad Philini uxorem ait: *Habuit ergo in utero erysipelam, id quod dolores muliebrum, & ustio in ventre significabant. Hæc autem facta sunt, quia purgatio cessavit* (*g*). Mercurialis quoque putat a lochiis retentis in hac muliere hepatis, & uteri inflammationem profectam. Hunterus, & Walterus (*h*) ab inflammatione peritonœi; ab omenti vero, & intestinorum Hulmius (*i*), Leachius (*k*), Henric. Slaugter (*l*); a peculiari inflammatoria diathe-

(*a*) New system of Midwifery Lond. 1751.
(*b*) New system of Midwifery Lond. 1769.
(*c*) Theor. and practice of Midwifery Lond. 1767.
(*d*) Mélanges de chirurgie.
(*e*) Traité des maladies des femm. en couche, pag. 108.
(*f*) Class 3. De morb. vulgarib. lib. 3 Hipp. Comment. 3. apud Juntas pag. 144. Theophilus de Meza postremo huic opinioni accessit, ut legi in Commentariis Lipsiensibus nunc nescio locum.
(*g*) In lib. Hippoc. de morbis popularib. lib. 1. sect. 3. Augustæ Taurinorum ann. 1589, pag. 101. Distinguunt tamen aliqui practici erysipelam a vera inflammatione. Vid. Gorter., Andream Pasta, & alios in aphoris.
(*h*) De morb. peritonœi & apoplexiæ.
(*i*) Treatise on the puerperal fever., passim.
(*k*) Practic. observat. on childbed-fever. Lond. ann. 1772.
(*l*) Medic. praxeos systema ex Academiæ Edimburg. disputationib. inauguralib. &c. Carol. Wbster T. III., pag. 264.

si, Thomas Fulhame (a), Thomas Evory, qui abdominis alicujus partis inflammationis dolorem pro idiopathico signo retinet (b). Whilthetus nihil hisce caussis tribuens, totam in putrida labe reponit. *Il ne paroit pas*, inquit, *que cette maladie puisse être attribuée à une simple inflammation*: & paullo post: *Cette maladie s' annonce au contraire, évidemment pour être de genre de putride occasionées pour les exhalaisons humaines par l' amas d' une bile acre, & putride, & pour devoir sa puissance à une grande quantité des matiéres fétides, accumulée dans tout le canal intestinal, & dans les organes de la génération. Enfin c' est une fièvre maligne, du même genre, que le fièvre des prisons, ou des hôpitaux* (c). Riverius propius ad veritatem accedens ait: *Febres autem putridæ puerperis supervenientes, a tribus caussis oriuntur; nempe lochiorum suppressione, aut imminutione, pravorum humorum congerie, gestationis tempore cumulata, ac in partu agitata, aut diætæ erroribus*: & paullo post: *Si vero rite fluentibus lochiis febris oriatur; illa vel ex bilioso humorum apparatu, vel ex diætæ erroribus provenit* (d). Willisius pravam sanguinis diathesim a mensium retentione or-

(a) Dissert. de febr. puerper ann. 1784. Edimburg.
(b) Dissert. de febr. puerp. Edimburg. ann. 1782.
(c) Avis aux femmes enceintes & en couches 1774., pag. 298.
(d) Oper. medic. lib. 15. cap. 24.

tam criminatur; sive *sanguinis insignis dyscrasia, cujus compage versus corruptionem vergit, & deflectit* (a). Etmullerus Willisio plane astipulatur (b). Hujusmodi febres a fota in abdomine colluvie ex maxima parte Kirkland, Butter, Millar, Stoll, Vogel, Richter, Nolte, Frank, Teophilus Meza, Tissotius (c), Burserius, De Battisti, aliique derivare opinati sunt. In quam putridam saburram cum maxime puerperæ propendant, eaque ex multiplicibus caussis induci possit, mirum non est si modo ex una, modo ex alia caussa hujusmodi febrim procreari, doctissimi scriptores docuerunt. Quare jure merito fortasse cl. Young eam a contagione sui generis proficisci asserit (d); quam si declinare velis commonet cl. Selle, *ut summa arte motus omnes in puerperio febriles avertantur, quando febres biliosæ grassantur*, in quam puerperæ sunt quam maximæ proclives (e); juxta illud Celsi monitum: *Quod frequentius quædam eveniant. Ideo utile est scire unumquemque, quid, & quando maxime caveat* (f). Puerperarum in putridam illuviem propensionem repetit perspicacissimus Frank ex summa nervorum mobilitate, quam hæ acquirunt, quamque cernere est ex odora-

(a) Oper. omnia de febrib. cap. XVI., mihi pag. 180. T. I.
(b) T. II., pag. 909.
(c) Comment. Lipsiens. vol. 28., pag. 447.
(d) Comment. Lipsiens. vol. 28. pars 3., pag. 406.
(e) Lib. cit., pag. 289.
(f) Lib. 2. Præf.

mentorum tristibus effectibus, in quos non infrequenter eædem incurrunt (*a*).

D. Putas me a tua scurrili dictione ita esse perculsum, ut exsurgere amplius queam? Erras: imo eo te traductum video, quo cupiebam. Dic quæso, nonne effusiones a meo Doulcetio scissis cadaveribus in abdomine visæ omnino lacteæ fuerunt? *Il nous suffira de dire, 1. que cet épanchement est bien visiblement de nature laiteuse; 2. que nous ne pouvons en donner une plus juste idée; qu'en le comparant à du petit-lait non clarifié; 3. qu'il est toujours trés-fétide; plus, ou moins abondant, que nous en avons sovent un deux & trois piates; 4. qu'il est dans la cavité propre de l'abdomen; 5. qu'on y voit constamment flotter des gros morceaux de lait caillé pour l'ordinaire fort blany; 6. qu'on en trove en grand nombre de collés à la surface externe des intestins; 7. enfin que la matrice est absolument dans l'état naturel* (*b*). Quibus adde me *puerperalis serotinæ febris* curam gerentem ipecacuanham dedisse post mixturam, qua Doulcetius

(*a*) Me quadam sensi captum voluptate, dum celeberrimi viri hujusmodi cogitationes legebam (l. cit. vol. V., pag. 56.). Id ipsum enim in mentem sæpe mihi venisse recordabar; imo animum voluntas exercebat rem excolendi, ut aliquando excultam, si visum esset typis mandarem. Nunc vero lubentissime me ornatissimi viri consensus impellit: sique dies mihi non deficiet, ut aliqua adhuc de hac re in lucem prodeant, operam impendam.

(*b*) Donzelli, pag. 28.

utebatur. *Semel tantum ægra evomuit, sed alvus pluries soluta est, & visum mihi, aliisque fuit, caseamentosa quædam filamenta tum in iis, quæ ex alvo, tum quæ ex ore prodierant, manifeste apparuisse.* Eja age quid gannis nunc (a)?

C. Quæ a tuo Doulcetio ad propriam sarciendam opinionem proferuntur, Puzos, Levret, le Roy, Chomel, aliique (b) ad ipsissimam condendam edidere. Hanc sententiam refellerunt præ primis Angli, & alii, qui a lochiorum suppressione febrim commoveri opinabantur (*). Hac de re, si te non tædet, audi iterum ornate, perpoliteque eloquentem, celeberrimum Burserium, quem tibi summo-

(a) Donzelli apologeticus, pag. 29.
(b) Vid. act. acad. scient. ann. 1746.
(*) Leachius vigente in nosocomio Westminster epidemica puerperali febri, omnibus puerperis ubera emungi præcepit; nihilo tamen secius morbus nihil tenuabatur: hinc a lochiorum suppressione febrim adoriri existimabat. Galli e contra, cum lochiis rite fluentibus lac deficere animadvertissent, a lactis aberratione febrim cieri opinatj sunt. Omnes antiqui in puerperarum morbis, animum in lochiorum fluxum rite dirigendum convertebant, a quo imminuto innumerabilia mala patere credebant: imo Hippocrates in libro 1. de morb. mulier, pag. 87. hanc ipsissimam febrim deduxisse evidenter patet. *Si vero non processerit*, ait, *purgatio contiget ipsam febrire, horrorem habere, & ventrem magnum esse, & si ipsam attigeris, totum corpus dolere, maxime si quis ventrem attingat, & alias atque alias stomachi dolore vexatur, & lumbis dolet; & cibi fastidium, & vigilia, & punctura adest, postea quinto, aut septimo die quandoque venter turbatur, & secedunt nigra, & valde graveolentia, alias atque alias, & urina veluti asinina. Et si secesserint, videtur sibi melius habere, & curata brevi sana fit: sin minus periclitabitur, profluvio ventris forti ipsi illapso. Et puerperii purgamenta ipsi occultabuntur. Si vero venter ipsi non turbetur, neque purgatio prodeat sua sponte, neque ea quæ commoda sunt brevi exhibeantur, tempus autem progrediatur, multo magis ex prædictis affligetur.*

pere commendatum volo: *Liquor vero ille serum lactis referens, quo abdominis cavum interdum scatere viderunt, vel pus tenue fuit ab intestinis inflammatis expressum, vel lympha concrescibilis illinc effusa, & corrupta; vel chylus ex venis fortasse lacteis ruptis, laceratis, exesis, aut sphacelo destructis, apertisque cum lymphatico latice stillatim emissus* (a). Frank vero semper laudatus, postquam exemplum in medium protulit juvenis hepatitidis, & peripneumoniæ extincti, exenteratique, in cujus abdomine, & pectore copiosissima hujusmodi materies protinus serum lactis referens continebatur, ait: *Quare ridiculum est, in fœminis pro lacte declarare, quod & in viris forti inflammatione detentis non semel tantum detegitur* (b). Cujus rei exemplis omnium clarissimorum virorum scripta abundant: sunt in Morgagnii, Swietenii, Lieutaudii, Halleri, Percivalii, Ludwigii doctissimis operibus; sunt & in aliis, quibus si non adversaris me eodem jure uti, quo tu in Doulcetii doctrina comprobanda, es usus, ego quoque mea addam exempla. Doctus medicus Forni major Joseph ni fallor, vices gerebat Gallarati medici ordinarii nosocomii Papiæ, quo cum (eo enim familiariter utebar) ad invisendos ægrotos me conferebam. Vidimus juvenem a nosocomiali

(a) L. c. § 464.
(b) L. c. pag. 36. in notis.

febri elapſum in quotidianam ſpuriam incurrentem, quæ ægrotantem jam viribus deſtitutum ita pertinaciter afflictabat, ut quæcunque opportunior medicina irrita evaderet. Jamque aſcitis non indubia ſigna apparebant, quæ ſenſim excreſcens paracentiſi providendum eſſe viſum fuit. Qua inſtituta, ingens materiei copia effluxit ſeri lactis aliquantulum ſpiſſi ita ſimilis, ut tu, Doulcetius, & ceteri Galli, præſertim ſi ex puerpera educta fuiſſet, nihil aliud quam lac vitiatum conſtanter credidiſſetis, licet male oleret; nam Doulcetius de ſubſtantia lactea effuſa dicens habet: *Qu' il eſt toujours très-fétide*. Neque citra rem confirmare videntur, quæ ex hianti puerperarum umbilico lacteæ ſubſtantiæ aliquando proſilierunt (*a*), cujus exemplum a Chomelo optimo medico proponitur. Jam vero idem mihi bis contigit, teſte præter ceteros diligentiſſimo chirurgo Palazzi. Cumque jampridem Chomeli hiſtoriam legiſſem, neque ejus opinioni ſtatim aſſentiri paratum eſſem, analiſim chemicam, quam potui illis diebus curis implicatum, in-

---

(*a*) Mém. de l' academ. 1714. Journ. de méd. 1760. Puzos l. c, pag. 372. Chomel, acad. des ſcienc. l' ann. 1728. Mém., pag. 581. & ſeqq. Svieten. l. c. §. 1329. Haller. phyſiol. magn. lib 28. cap. 14. Bang in act. reg. ſociet Haunienſ. vol. I., is plurimas aperuit fœminas febri puerperali defunctas, & materiem in abdomine ſcatentem, aperte pus eſſe vult; ſic purulentam eam eſſe materiem obſervavit quæ ex puerperæ umbilico exilivit. Nec ergo umbilici aperitionis inauditus eventus; nec per meam præpoſteram curandi rationem in duabus ſuperius relatis hiſtoriis locum habuit, ut ſcioli aliqui obvagulabant?

ſtitui, per quam omnem ambigendi locum ademi: ideſt non lac eſſe hujuſmodi materiem, ſed aliam longe diverſam purulentam potius. Quare etiam hac de cauſſa non ſum veritus viro litteratiſſimo meum libellum inſcribere. Nullus enim auctor hoc ante me præſtiterat (*a*).

D. Sed quæ a me viſa fuerunt in nunc enarrata hiſtoria flocci pendis?

C. Me excuſatum habe non memineram. Ipecacuanham ergo tuæ puerperæ dediſti, ſed ſcire oportet, qua methodo ipſam ei exhibueris. Si ipecacuanham in emulſione citri, ut noſtræ puerperæ, obtuliſti; tunc profecto cum juſta Boerhaavium emulſio partim lac emuletur (*b*), & Macquer dicat: *Si vede da ciò, che il latte è una vera emulſione* (*c*); non eſt cur mireris ſubſtantiam accitam, tibi præſertim jam præoccupato, lac coagulatum apparuiſſe. Si vero Doulcetiana methodo porrexiſti, ſi quid ſaburræ alkalinæ, aut cujuſcunque indolis in ventriculo inerat, oleis unita coire potuit; coacta lactiginoſam rem ſimulare. Nonne quid

---

(*a*) Vid. hiſt. I & II. Quæ materies ex Pintinæ umbilico provenit, ejus portionem per menſem in ampulla detinui, quin immutaretur. Selle commiſit Herbſteedt chimico materiam in puerperæ imo ventre contentam examinandam, qui expenſa analiſi reſponſum dedit, prædictum liquorem eſſe lac imperfectum alkali ſuperabundans. Sed ex præconcepta opinione experimentum inſtitutum, & ex defuncta captum, & non abſolutum, & dubium reſponſum.

(*b*) Operat. chim. proceſ 21 op. 2.

(*c*) Diz. chim. all'articolo *latte*. Ita quidem Cartheuſer Mat. med. 2., pag. 529.

similis præseferunt etiam juscula ex pane confecta, si rejiciuntur? Testes appello clinicos omnes. Ita quidem affectione cœliaca detenti, etiam si sint viri, qui non pariunt, nonne substantiam visu lacti similem aliquando dehiscunt? *Stercorum egestio nunc &c., nunc alba est*, Cælius Aurelianus scribit (*a*). Fac actione pharmaci purgantis plus æquo intestina irritari, & aliquid muci abradi, cum fœcibus egeri poterit.

D. Si blandissimus iste, lenissimusque lacteus humor, quem tam innoxium deprædicas, febrim lacteam procreat, ut notum est lippis, & tonsoribus; si persæpe in mammis congesto, stases, tumores, abscessus, & alios quamplurimos morbos producit; cur non & febrim puerperalem progignere poterit (*b*)?

C. Si lac sit, quod in puerperis febrim lacteam dictam facit, adhuc sub judice lis est. Riverius inquit: *A lacte oritur ex sanguinis ab utero ad mammas refluxu, ejusdemque motu & agitatione* (*c*). A quo non multum Fridericus Hoffmannus discrepat, dum sic sentit: si lac ad mammas appingere debet validiori cordis impulsu ipsum citari fas est, ut sibi in mammas viam sternat, aperiatque (*d*). Sauvage-

(*a*) Morb. chron. lib. 4. cap. 3.

(*b*) Hæc non levis difficultas est, quam lactearum stasium fautores movere solent. Ut autem copia fiat ad hanc evolvendam, explicandamque, bene esse existimavi, ipsam in adversarii ore reponere. Ceterum id sibi D...... honori tribuat; dum magni ponderis argumenta affert, quæ prius ipse novisse non videbatur.

(*c*) L. sæpe c. lib. 15.

(*d*) Medic. ration. system. T. I. lib. 1. sect. 2. cap. XV. §. 1.

sius, ut ejus systema fert, huic sententiæ adhæret (*a*). Swietenius ex evulsione placentæ ulcus, & phlogosim fieri putat, ex qua febris consequatur necesse sit (*b*). Hinc fortasse Weinhart, aliique puerperarum diætam, & vulneratorum parem esse oportere sentiunt (*c*). Alii ab uteri contractione, & immutata humorum circulatione febrim progredi senserunt. Quæ satis sit monuisse, ne nimis extra propositi aleam devehamur. Ceterum verissimum est in plurimis puerperis lac ad mammas pertingere, nulla submota febri; quod nuperrime observavi, aliique meæ carissimæ conjugi contigisse viderunt. Relate ad lacteas stases, & alios, qui inde morbos obvenire recensentur, nemo est qui neget a statim repercusso lacte jam in mammis acto, eos morbos patere posse. Sic quotidie commendatus Frank habet: *Certe quævis secretio magna subito suppressa, damna sua habere consuevit, neque negari possunt in integrum metastases lacteæ; licet nimium eisdem tribuerint Galli in primis medici* (*d*). Idem Burserius, idem Nolte, Riverius, Willisius, Fauvarq (*e*), omnes denique uno ore fatentur. Sed morbi proinde manan-

(*a*) Nosolog. class. 2. gen. 1. spec. 5.
(*b*) Comment. in Boerhaav. §. 1329., pag. 605.
(*c*) Nucleus Univers. medic. lib. II., pag. 116.
(*d*) L. c. in notis.
(*e*) *De lochiorum metastasi*. Commendata dissertatio, in qua habes, unde lacteam a lochiali metastasi distinguas. Lugd. Batav. ann. 1768.

tes nihil cum febri puerperali communis habent, quæ ex putridarum genere esse solet. Hinc sapienter doctissimus de Battisti, cujus libellum velim perlegas, hanc statuit propositionem: *Febris puerperarum a duplici lactea, neglecta distinctio in præsentaneum sæpe vitæ discrimen inducit puerperas* (a). Revera si retorto argumento abs te postularem: cur metastases lacteæ, quæ vere a devio lacte derivare omnium consensu constat minime febrim puerperalem foveant, quod nam responsum dares? Nonne & Galli, & tu ita noxium lacteum humorem habetis; ut & perniciem putridam facillime, & paucis horis inducere (febris enim puerperalis Gallorum putrida semper labe comitatur), & e vestigio quasi coagulari sub oculis subjicitis, aut subjicere putatis? Et tamen non in putridum docentibus Macquerio, Spielmanno, Rovelio, Sheele, qui ex lacte acetum paravit, ceterisque chimicis ipsum lac vergit. Neque docente Scopolio tam cito coescit si ab aeris atmospherici contactu prohibeatur (b). Cujus rei exemplum celeberrimus, litteratissimusque Scarpa anatomicus magni nominis dedit. Ope tricuspidis mammam per plures menses jam insigniter tumentem aperuit: *effluxerunt inde sinceri pinguissimi, & incorrupti lactis libræ circi-*

(a) Differt. de fœminar. morbis thes. xv., pag. 115., ann. 1782. Viennæ.

(b) Dizion. di chim. all' articolo *latte*.

citer octo, *cujus analisim instituit illustris collega Scopoli* (*a*). Quamobrem te, ut cl. De Battisti libellum volvas, & revolvas, summopere commendo; quo cum si tibi curæ est, distinguere disces, quæ ex lacte, quæque ex alia caussa febres proficiscantur. Interea certiorem te reddam de ejus cogitandi ratione, aliqua tibi sub oculos ponens ex ipso excerpta. *Hæc mala*, scribit, *materiei lacteæ metastasi tribuunt illi*, *qui non bene aliorum morborum symptomata perpendunt*. Paullo post: *Nihilominus omnes omnino lacteas depositiones negare nolo*; *hoc tantum dico materiei lacteæ metastases theoria potius*, *quam experientia confirmatas*, *ex alia longe*, *ut infra patebit*, *caussa suam ut plurimum trahere originem* (*b*).

D. Si puerpera est, si febri laborat; cujus nam indolis hujusmodi febris erit, si puerperalis non est (*c*)?

C. Cujuscunque generis esse posset. Riverius ait: *Febres puerperarum acutas non aliam habere essentiam*; *aliamve diagnosim*, *ac dum non puerperas*, *ac etiam viros obsident* (*d*). Doctissimus Nolte sic habet: *Præ cæteris judicium*, *&* *ratiocinium cel. Vogel* (*) *memora-*

(*a*) Delect. opusc. Frank vol. V., pag. 38.

(*b*) L. c. pag 33.

(*c*) Hic Donzellium doceo, cujuscunque generis a febribus puerperas exerceri posse; & nimis late ab eo adhibitum hoc *puerperalis* nomen fuisse.

(*d*) L. c. cap. 16.

(*) Samuel Gottlieb Vogel compend. medicinæ practicæ ann. 1785., pag. 248.

tu dignum arbitror, cum dixerit, febris puerperarum nomen febris essentialis, febris sui generis, quæ ratione symptomatum, caussarumque a reliquis febrium generibus valde diversa sit, minime mœreri (*a*). Celeb. vero De Battisti inquit: *Hanc rem ita se habere pœnes puerperarum lectos cl. Prof. meus de Stoll medicinæ candidatis ostendidit, dum diverso anni tempore observare licuit puerperas non eadem, sed diversa puerperarum febre laborantes, quæ vigenti epidemicæ constitutioni correspondebat* (*a*). Burserius rem semper magis confirmat: *Quisque satis intelliget, probabiliter non unam febris puerperalis caussam, sed fortasse aliam, atque aliam constituendam esse, & proinde non unum ejusdem genus, sed plura videri &c.* (*c*). Revera nec Linnæus, nec Sauvagesius licet honoratam de Willisii, Riverii, Puzosii, Leuretii scriptis mentionem faciat, qui de puerperarum febri disseruerunt; nec Cullenius, nec Sagarius, nec Whitetus, nec David Machbridius, nec Chambon de Montaux, qui nuper in genera, & species omnium febrium mala soboles dispertiti sunt, ab aliis hanc distinguere febrim optimum esse duxerunt: neque injuria id factum existimo. Jam vero eam ego fero sententiam, plus damni, quam commodi ex febris puerperalis distinctione provenire.

Sy-

(*a*) L. c. pag. 53.
(*b*) L. c. pag. 94.
(*c*) L. c. §. 472.

Sydenhamius dolebat apud imperitos medicos in more positum esse, si hi febrim designare nequivissent ad latum nimis *maligni* nomen, tanquam ad sacram anchoram eos confugere, ut sarta, tectaque ipsorum ignorantia esset. Nonne eodem modo inepti medici hoc latissimo *puerperalis* nomine cunctas comprehendere, & confundere febres poterunt, sicque empirice concepta curandi ratione, omnes indiscriminatim unica methodo impudenter, temereque agere? Quam rem cum supra laudati viri a longe perspexissent, de ipsa dicentes, quamprimum commonitam esse voluerunt.

D. Iterum rogito: cujus ergo indolis hujusmodi febris est?

C. Si febris remittit, si vomitione *materiam rejecit ex viridi flavescentem*, ut tu ais, *si major ventris tensio*, *alvus adstricta*, *lactiginosis stasis tibi metum inferebant*, quæ omnia colluviem in primis viis nidulantem aperte demonstrant, febri gastrica laborat.

D. Nec Gallarati *grassat hujusmodi febris*, nec *hujus ista moris est* (*a*). Verum omnino comparari debet cum descripta a Doubletio.

C. Nec Gallarati per Deum, hominumque fidem grassata est febris gallici nosocomii Hôtel de Dieu, cujus historiam in lucem emisit Doubletius; nec medius fidius nunc grassa-

E

(*a*) Vid. §. 19. libelli Donzelliani.

tur: imo nunquam fortasse in tota Italia dominata est, ut oratione inferius comprehensuri sumus. Ast ne irascaris, si cachinno concutior, te talia fatantem, intelligens. Possibile ne est, te inficias ire; febrim hanc, de qua tantum a veteribus, ut videre est apud Alexandrum Trallianum (a), & usque ad hanc diem a neotericis disputatum fuit, qui omnes uno ore docent, deprædicantque, eam & epidemice, & sphoradice invadere, tibi uni innotescere, eamdem sæpe multos exercere, sæpe vero unum, aut alium hinc inde tenere? Puerpera, de qua loquitur Hippocrates apud Pantimedem degens febri puerperali gastrica laborabat (b); eademque & Epicratis uxor, quæ ægrotabat apud Archegetem (c); eademque quæ in Mendacium foro (d), & quæ in Cyzio (e) detinebatur: nec tamen epidemica ibi locorum erat febris puerperarum gastrica. Nunc inquirendum restat, fuerit nec ne gastrica febris nostræ puerperæ? Febris gastrica est continua remittens: inter quotidianas continuas remittentes eam Burserius reponit (f). Inter amphymerinas Sauvagesius Tissotii biliosam collocat (g), quæ est gastricæ species; ut inferius

(a) De febr putrid.
(b) De morb popularib. lib. 3. ægrot. x.
(c) Ibidem lib. 1.
(d) Lib. 3. ibid. ægrot. x.
(e) Vid. supra.
(f) L. c. §. 376.
(g) Nosolog. class. 2. ord. 2. gen. 4. spec. 22.

exploratum erit. Baglivius ejus mesentericam, aliam gastricæ speciem, remittere scribit (*a*). Atque sic pergit putrida Tralliani; dum ex diariarum febrium degeneratione originem habere aliquando opinatur (*b*), quamque accurate gastricam esse, & docuit Burserius, & patet ex proposita historia. Nec aliter se habent, qui sub alias denominationes hanc febrim descripserunt, ut cernere est in Heistero, Quesnejo, le Roy, Sagario, Burchardio, Fizesio, Machbridio, aliisque. Atque illud constans esse videtur ex sanguine extorrente, aut alio humore in sanguinem æstuante febres continuas, continentes accendi, flagrari; ex labe vero extra sanguinis additus, & in primis viis remanente, ac fota, successiveque in sanguinem permeante, remittentes, aliasque hujus census febres moveri (*c*). *Febri continua remittente laborasse puerperam, per quam in discrimen adducimur, non modo probabile, verum certissimum est*.

Non modo probabile. Probatur.

Ad. . . . Me. . . . puerperæ soror, mulier honestissima ait: *A mezza mattina del martedì le sopravvenne qualche po' di freddo*. Et postea: *Sentissi pure a mezza mattina del mercoledì a venir freddo di bel nuovo*. Die Jovis: *Le sopravvenne il freddo anche più ga-*

E 2

(*a*) Oper. omn. lib. 1. cap. 1. Venetiis ann. 1727., pag. 32.
(*b*) Lib. 12. cap. 2.
(*c*) Plurimorum scriptorum verisimilis opinio.

gliardo del solito (*a*). Quotidie vero morbum pomeridianis horis graviorem factum, & ipsa ait, & tu ob rei veritatem invictus confirmas. Idem Hippocrates in vere gastricis ab eo puerperarum febribus descriptis accidisse advertit; ut mulieri, quæ apud Pantemidem degebat; de qua ait: *Prima die febris corripuit, secunda die superriguit*. Et illi, quæ in Mendacium foro decumbebat; nam secunda, quarta, & septima die riguit, & aliis. Quare auctoritate, exemplis, natura febris certissimum esse, febrim tuæ puerperæ remisisse; sed do liberaliter ut soleo, esse modo probabile.

Verum certissimum est. Probatur.

Tu §. 7. confiteris, *tertio labente die ægram febri cum frigore correptam fuisse, & noctu male se habuisse*. Tum §. 10. ais: *Die insequenti*, idest quarta a morbi die, *ægra melius se habens, aliquid in victu sibi indulsit; sed morbus vespere iterum ingravescit &c.* Tu tunc temporis tuis pharmacis, quæ bene; puerperæ erroribus, quæ male ipsi obveniebant tribuis; nihilque omnino febris indoli concedis, quam, ut te docerem superius, quantum disputatio nostra tulit, sub oculos subjeci (*b*). Febris gastrica ideo a Ballonio, recentioribusque *gastrica* denominata fuit, quia tunc

(*a*) Vid. not. morb.

(*b*) Puerperarum febres sæpissime aut in intermittentem abeunt, aut ab ipsa, sicuti Trallianus animadverterat, ortum ducunt. Quare in hisce latissimus est corticis peruviani usus: de qua re alia vice.

morbi fomes in primis viis hæret, revertiturque. Nomen accommodatissimum ad illas omnes indicandas, comprehendendasque febres, quarum illuviem in diversis imi ventris visceribus optimi scriptores foveri opinantur. Jam vero Trallianus in ventre, Baglivius, & Burchardius in mesenterio, Tissotius in hepate, Heisterus in stomacho, & intestinis morbi fomitem delitescere existimaverunt. Tu vero *ad laudati Doulcetii mentem* vomitum excitavisti, ut puerperæ *devius humor lacteus solveretur, & ex corpore educeretur* (vid. §. 8.). Idemque repetisti §. 10. Sed materies porro evomi, aut dehisci nequivisset, nisi in primis viis morata esset. Febris gastrica ea est, ait Burserius, quæ præsertim & vomitu, & dejectionibus quam maxime levatur. Revera Trallianus habet: *Indicant hæc*, idest saburram in stomacho inesse, *quoque vomitus, qui crebro tam perfecte febres exciderunt, ut æger non amplius malam accessionem sit expertus* (a). Tissotius totum curæ opus in eo potissimum collocat, ut morbi materies mobilis, aptaque ad evacuationem reddatur. Baglivius.... Sed quid hinc longinque commemoro? Quesnejus ut primum *stercoraceas* has febres appellat, quia citatiori alvo levari soleant. Tu vero ais *urinæ, & lochia multum imminuta febris aucta; major ventris tensio, alvus adstricta* (§. 10.).

(a) L. c. mihi pag. 320.

Ex quibus colligitur si febris gastrica, continua remittens est; tua & continua erat, & remittebat: si febris gastrica a primarum viarum saburra cietur; tua utique ab hac oriebatur: si febris gastrica levatur dejectionibus, exacerbatur alvo adstricta; tua sic procedebat. Adest ne dubitationi locus? Hisce positis te ita bonum medicum credam, ut non amplius iterare valeas illud; *nec hujus illa moris erat* (§. 19.)? Quid plura! Sicuti febris gastrica ea est, quæ a primarum viarum saburra ortum ducit; sic ausim dicere, non esse in puerperis acutarum febrium circumstantiam, in qua vomitio tutius, satiusque excitari possit, nisi mala illuvie in viis gastricis nidulante. Quamobrem tu ipse fatearis necesse est, aut protinus fuisse vomitionem indicatam, & tunc, cujus moris fuerit febris? Fac quæso veritatem fusam tandem ex tuo ore audiam, modoque pronuncies: *utique tibi concedo, Medice Cerri, febrim fuisse gastricam, quod ex te nunc didici*. Aut vomitio contraindicata fuit, & tunc sinam non istius moris febrim fuisse; sed petam, cur vomitionem provocabas? Hic advertas velim, quod quanquam sæpe in hisce circumstantiis vomitio juvet, aliquando tamen occidit, quod jam in mei libelli pag. 21. monueram. Sed hæc omnia mittamus; imo agam tecum consueta liberalitate, do puerperam, de qua agitur, vera Doulcetio-Doubletiana febri laboravisse. Cujus nam indolis illam fuisse febrim putas?

D. Puerperalis fuit, ut jam sæpe sæpius dixi.

C. Quo vero te vertes, si tibi Doulcetianam febrim, quam animo præsumis tuæ similem, gastricam fuisse satis superque demonstrabo; sicque palam faciam dum ais: *Nec Gallarati grassabat hujusmodi febris, nec hujus illa moris erat, sed vera puerperalis febris a lactis deviatione inducta, & de qua inferius aliqua dicturi sumus* (§. 19.), te bonum, & publicum medicum oppidi Gallarati haud adhuc novisse, quid sit febris gastrica?

D. Id & novum mihi, & ante hanc diem inauditum contingeret.

C. Febris gastrica continua, remittens est, idque late superius comprobavimus. Doubletius habet: *Vers la fin du second jour de la maladie, ou dans le couvrant du troisieme, elles diminuent, pour même cesser quelque foi tout-à-fait &c.* Quod si id non recensitum fuit in *symptomes toujours existants*, erit fortasse & morbi complicationi tribuendum, & ausim dicere non omnibus numeris absolutæ ipsius febris descriptioni, quod sæpe sive ob male præconceptam morbi theoriam, sive ob apertam, tutam, certamque curandi rationem usuvenire solet. In febribus gastricis humores in primis viis delitescentibus vitiantur, labefactantur, quibus vomitu aliquando sublatis morbus brevi tollitur; ut jam a Tralliano animadversum, & ab aliis fuisse vidimus. Doubletius: *Les effets de l'ipecacuana sont tels*

qu' il mérite à juxte titre le nom de ſpecifique en ce cas, lors qu'il eſt donné à tems &c. Sed quid multa! Doulcetii febrim ex gaſtricarum caſtris fuiſſe omnes unanimiter docent, ex quibus ſufficiat Burſerium citaviſſe, qui id manifeſtiſſime declarat. *Concludo pertanto, e dai ſintomi notati nella deſcrizione della malattia, e molto più dal buon eſito degli emetici, e dei purganti, che propoſe il sig. Doulcet nella cura, che quella febbre aveva il ſuo fomite nelle prime ſtrade, e che perciò apparteneva al genere delle gaſtriche* (*a*). Et alibi: *Profecto concludendum erit* (de febri puerperali loquitur) *non novum, nec diſtinctum morbi genus, quod ſeorſim pertractari debeat, ſed ſpeciem quamdam febris gaſtricæ acutæ habendam eſſe, plus minus malignam putridam, & complicatam; eamdemque curationem expoſcere, quam reliquæ gaſtricæ febres in primis malignæ, & putridæ; de quibus fuſius actum eſt. Rem ita ſe habere nuperrimæ cl. Doulcetii obſervationes, de quarum veritate nemo dubitaverit, invictum nobis exhibent documentum* (*b*). Jam vero nemo eſt quem lateat, quanta ſint puerperæ ſenſibilitate, irritabilitateque donatæ, ſi etiam odoramentis quandoquidem afficiantur. Nemo quidem inficiabitur ipſas ſæpe ſæpius in morbos acutos, lethaleſve incidere ob temperamenti, quam

---

(*a*) Avviſi ſopra la ſalute umana vol. 8., pag. 488.
(*b*) L. c. §. 448.

adipiſcuntur mollitiem ; ita ut minima admota cauſſa , & facilius in epidemicas conſtitutiones labantur, & magis periclitentur. Quam rem tu agnoſces pariter ex meo libello. Quibus perſpectis, nonne fieri potuit, ut degentes in noſocomio puerperæ in epidemicam quoque noſocomialem labem implicarentur, quæ per cibos, & inter potum abſorpta ſuccos gaſtricos inquinaret? Whitetus puerperarum febres cubiculo adſtricto, non æreato, effluviis putridis fœdato tribuit. Swietenius obſervavit, puerperas, quæ ſupra vulneratorum cubiculum locabantur, multas perire; ſeque pejus habere, quo magis vulneratorum numerus creſceret. Quamobrem nihil mirum ſi etiam in noſocomio *Hôtel de Dieu* multas hujuſmodi febris puerperas ſive ob miaſmata noſocomialia, ſive non nimis forte obſervatam munditiem, ſive ob præpoſteram curandi rationem, ſive ob prohibitam ventilationem exercuit; ſique etiam ex his febris malignitas proficiſci potuit.

D. Tua futilis loquacitas te eo rapit, ut omnes fere puerperarum febres hoc *gaſtrici* nomine comprehendas.

C. Minime ſane! Enim vero jam me ſic docuerat excellens Burſerius. *Nihil vetat quominus puerperæ aliis quibuſcunque morbis, ut reliquæ mulieres facile pateant. Nullus ferme morbus exiſtit, in quem ipſæ non aliquando incidant*. Quæ doctrina uſque ab incunabulis accepta, & animo inſculpta probatior,

saniorque est; ipsique, donec alii meliorem exerant, acquiescam.

D. Quid ergo ais in tuo liberculo: *Vix a partu in febrim incidit continuam, quam sive putridam, sive biliosam, sive mesentericam, sive gastricam, sive latiori nomine puerperalem nuncupari mavis, hic non contendam. Nonne hoc nomine omnes fere puerperarum febres comprehendis?* Quare nonne puerperalem febrim in tuo liberculo *non satis distinxisse* videris (*a*)?

C. Asseris ergo me hoc nomine omnes fere puerperarum febres comprehendere? Repono: si tu omnes fere puerperarum febres in putridam, biliosam, mesentericam, gastricam distingui existimas; neque pene aliam in memoriam revocare valeas; tu unam tantum, ex tot quibus sunt obnoxiæ puerperæ febribus, agnoscis. Retine, si id tibi probatum erit. Febris putrida Alexandri Tralliani, putrida biliosa Petri Foresti (*b*), biliosa Tissotii, mesenterica Baglivii, gastrica Ballonii, puerperalis Strotheri, aut Doubletio-Doulcetii, una, eademque febris species est, licet diverso nomine indicata. Ergo tu (cave ne te fallam) ex tot quibus subjiciuntur puerperæ febribus, modo unam cognoscis?

D. Nego antecedens.

C. Probo antecedens. Febris gastrica ea est, ut supra satius ostendi, quæ a primarum

(*a*) Vid §. 12.
(*b*) De febrib. lib. 2. obs. 6.

viarum colluvie gignitur. Atqui putrida, biliosa, mesenterica, gastrica a primarum viarum colluvie gignitur. Ergo biliosa &c., una eademque febris omnino est, licet diverso nomine indicata.

Et sicuti non est cur ultro neges sic extra formam dicam. Probe scio te aliter dixisse, ac sentis, uti in porticu versantibus, qui disceptationis gratia contendunt, usuvenire solet: secus medico cui insignis oppidi cura demandata est multo vitio verti deberet. Quod si *puerperalis* nomen retinere tibi arridet, adde *gastricæ benignæ*, *malignæ*, *nosocomialis &c.*, sicque rem absolves. Nam docente Aristotile: *Ex genere, & differentiis omnis definitio constat* (Top. lib. 1. cap. 7.). Sit *puerperalis* latum genus, ut jam dixi, differentia vero sit *gastrica*, quæ speciem designat. Et hinc responsio tuæ difficultati fluit, qua me incusas, febrim puerperalem non satis me distinxisse. Jam vero ego non de omnibus puerperalibus febribus egi, verum aliqua modo de puerperarum gastrica febri disserui; quæ cum diversis nominibus a scriptoribus indicetur, ipsi tamen magis gastricæ nomen conferre satius demonstravi, ut ex meæ epistolæ pag. 15. & 16. cognoscere potuisses. Cetera febrim puerperalem, biliosam semper indolem habere docet Selle (*a*); inter putridas collocat cum

---

(*a*) Rudim. pyretholog., pag. 289. & seqq.

Tissotio de la Roche (*a*); inter mesentericas, qui ibi febrim foveri credunt; inter gastricas omnes fere classici auctores. Quid plurima! etiam neotericorum puerperalis febris ut Eduardi Strotheri (*b*), Hulmii (*c*), Doulcet-Doubletii (*d*), Burserii (*e*); eadem est, ac febris *puerperarum* Leachii (*f*), Butter (*g*), Denman (*h*), Hunter (*i*), Manning (*k*), Kirkland (*l*), Caroli White (*m*), Ernesti Christiani Nolte (*n*), Vogelii (*o*), Thomas Evory (*p*); ac puerperarum *acuta* Ettmulleri (*q*); *acuta putrida* Riveri (*r*), Raymundi Fortis (*s*); *putrida maligna* puerperarum Willisii (*t*); *miliaris putrida maligna* Gastellerii (*u*); *uterina*

(*a*) Journal de médecine, chirurgie, farmacie &c. dédié à Monf. frère du Roi T. 61. ann. 1784., pag. 559.

(*b*) Crit. febr., or a critical essay on fevers chap. 9., pag 212. Strotherus primus anno 1718 febrim hanc *puerperalem* denominavit; verum nihil mihi distare videtur *febris puerperarum* nomen multo ante a Willisio, Joanne Fortis, Riverio, Ettmullero arrogatum.

(*c*) Treatise on the puerperal fever.

(*d*) Journal de médecine &c. l. c.

(*e*) L. c §. 458.

(*f*) Practic observat. on the chilbed fevers.

(*g*) Account of the puerperal fever. Lond 1768.

(*h*) Essay of the puerperal fever. Lond. 1768.

(*i*) Commentaires of Edimburg. vol. 3., pag. 324.

(*k*) Treat. en female disease. Lond 1775., pag. 360.

(*l*) Treatise on childbed fevers. Lond. 1774.

(*m*) Avis aux femmes enceintes. Paris. ann. 1774. art. 2., pag. 184. De la fièvre des couches.

(*n*) Delect. opusc. Frank vol. V., pag. 1.

(*o*) Compend. med. pract. Vid. Comment. Lipf. vol. 29., pag. 236.

(*p*) Dissert. inaug. de feb. puerperar. Edimburg. 1782.

(*q*) Oper. omn. T. II. de morb. acut. puerp., mihi pag. 910.

(*r*) Prax. med. lib. 15. cap. 24.

(*s*) De febr. & morb. mulier. Patavii 1701., pag. 103.

(*t*) L. c. cap. 16.

(*u*) Traité de la fièvre miliaire des femmes en couche, pag. 6.

a partu humoralis, *&* *nervosa* Raulinii (*a*); *porporina* Buchanii (*b*); *lactea maligna* puerperarum le Roy (*c*), *lochialis* Coperii (*d*), & aliorum. Dolendum porro est tot persæpe fuisse in medicina invectas denominationes, quæ unam, eamdemque rem indicant, quæque sæpe tyronum memoriam perperam obruunt, confunduntque.

D. Si in hoc gastricæ febris nomine Doulcetianam comprehendis; ut rem tranquillam tecum habeam tibi assentiar gastricam nostræ puerperæ febrim fuisse, etiam dum cum Doulcetii puerperali comparo, puerperalemque denomino.

C. Inter gastricas Doulcetii puerperalem febrem collocandam esse, nemo est, qui obtrectare possit. Verum hujusmodi gastricæ species nec quod sciam in totius Italiæ nosocomiis, nec in nostro magno Mediolani irrepsit, nec multo minus vero extra depopulata est. Quamobrem dum omnem operam navas, ut tuæ puerperæ historiam ad Doulcetii mentem aptes, accommodesque, oleum perdere videris. Jonhsonii, Whiteti, Burserii sub aspectum manifestissime ponunt febrim Doulcetianam ab iniqua nosocomiali labe procreatam fuisse. Hinc

(*a*) Traité des maladies des femmes en couche sect. 3. cap. 10. pag. 219.
(*b*) Medic. domestic. T. IV. Napoli, pag. 115.
(*c*) Premier. mém. sur les fièvres aigues.
(*d*) Compend. of Midwifery. Lond. 1766.

animadvertit Whitetus febrim hanc æstate immodice, & crudeliter sævisse, hieme vero leniisse. Accedit etiam, quod in relatione ex Gubernii jussu facta de Doulcetiana præstita methodo in hac curanda febri, lectaque in societate regali medicinæ die sexta Septembris ann. 1782., sic habetur. *Gli spedali sono i luoghi, ove particolarmente tale febbre è stata osservata di tal carattere, e in nessun luogo ella è mai comparsa così prontamente, e generalmente funesta, quanto all'Hôtel de Dieu in questi ultimi anni. Complicherebbesi ella allora con la febbre di spedale? Questo è il sentimento del sig. White* (*a*). Et jam antea grassata erat in Hôtel de Dieu observantibus Col de Villars, & Fontaine. Eam Poiteau vidit in nosocomio Lionensi; in nosocomio vero Vaugirad ann. 1781. Doubletius, & alibi alii. In Mediolani magno nosocomio nunquam animadversam hanc febrim fuisse nos certiores facit cl. Burserius in eadem epistola ad doctiss. Franciscum Corti, in qua sermo fit de Doulcetio-Doubletiana doctrina (*b*).

P. S. *Avendo ultimamente avuto discorso delle febbri puerperali, e del metodo del sig. Doulcet col valente Professore, a cui è affidata la cura di questo spedale delle gravide, e*

(*a*) Vid. Avvisi sopra la salute umana ann. 1784. num. 4. & 5., in quibus hujusmodi relatio habetur, cuique se subscripserunt De Lassone, Geoffroy, Mauduyt, Vicq d'Azir, Jeanroy, Hallé.

(*b*) Nuper de hac febri cum doctissimo viro Corti sermonem habui, qui me magis magisque in opinionem quam tueor confirmavit.

puerpere (che è il celebre Don Pietro Moscati), mi sono assicurato che la malattia, della quale si tratta, non vi si è ancora introdotta, e che difficilmente egli si indurrebbe a far uso in esse di tanti emetici, e di tanti purganti (*a*). Puerperales febres observatæ extra nosocomium a celebrioribus medicis nec tam vehementes, nec sic exitiosæ, nisi peculiari aliqua adjuncta caussa, ut quæ in nosocomiis occurrerunt, fuere. Libenter ego febrim Doulcetii *nosocomialem gastricam puerperalem* appellarem, veluti quæ puerperii vitiis nosocomialem labem conjungit; malignitatemque sive ex hac, sive ex complicatione acquirit, & brevi sæpe de medio tollit. Apposite enim ait Hippocrates, *occasiones unde quis ægrotare cepit considerare oportet* (*b*). Ex quibus patet, si epidemica Doulcetii febris fuit, si a nosocomialibus effluviis submota, non probabile esse nec constitutionem epidemicam, nec miasmata nosocomii *Hôtel de Dieu* rusticandi gratia Gallaratum venisse, & extra nosocomium tuam puerperam invasisse. Hinc febris in tuo libello descripta jure, meritoque dici poterit. *Febris oblectamenti gratia Doulcetio-Donzelliana puerperalis somniata, singillatim mulierem Gallarati prehendens*.

D. De doctrinis disserendi finem faciamus

(*a*) Avvisi sulla salute umana ann. 1783. num. 51.
(*b*) Lib. 2. de morb. epidem. p. 3. sect. 1.

oportet; ne dies deficiat antequam consultum sit, quibus præsertim innisi indicationibus, quibusque remediis providendum esse videatur. Ego cum Doulcetio omnem curam vomitione absolvendam esse puto.

C. Nihil vetat cur in hujusmodi morbis etiam vomitionem incitemus, & acta sæpe maximo commodo vertatur. Id jam monueram in mea epistola. Et sciebam Hippocratem de puerperii purgamentis verba facientem, quæ suppressa, & aliorum morborum, & istarum febrium, ut caussas ille incusat, vomitum etiam commendasse. *Quandoque vero*, ait, *non exit puerperii purgamentum, sed mulieri mortem portendit, nisi quis brevi venam secet, aut ventrem emolliat, præstat autem etiam clysterem adhibere. Si vero ad vomitum facilis fuerit, etiam vomitum inducere* (*a*). Sic Epicratis uxorem superius memoratam vomitu bilioso fuisse judicatam memoria tenebam. Cum vero in ea essem sententia, puerperas quacunque febri indiscriminatim affici posse; sic fere, non secus ac aliis, illis medendum esse existimabam. Quamobrem quis in febri gastrica vomitionis usum non maxime excellere dicet, etiam per morbi initia, si materia turgeat? Jam vero Doulcetii mens in epidemica nosocomiali puerperali gastrica febri, quam bono fato tractavit, ea fuit,

(*a*) De morb. mulier. l. 1., pag. 88.

fuit, ut enixe Hippocratis præceptis inhæreret juxta illud protritum medicinæ Parentis. *Quo natura vergit, eo ducere oportet*. Revera *la stessa ipecacuana*, habetur in relatione, *che forma la base del metodo attuale, non ha avuto maggiore successo degli altri rimedj, fino a tanto che il caso ha portato, che il sig. Doulcet si trovasse presente nel medesimo istante, che questa malattia manifestavasi in una donna, che poco avanti aveva partorito. Essa cominciò con dei vomiti. Il sig. Doulcet prendendo sul fatto da ciò l' indicazione, ordinò quindeci grani d' ipecacuana*. Juxta Hippocratem pariter cedit ciendi vomitum festinatio: *Purgare oportet*, ait, *in valde acutis, si humor turget eadem die: morari enim in talibus malum est* (a). Leonardus Ludovic. Finke & parturientibus, & puerperis in morbis biliosis vomitum prodesse anno 1780. scribebat. *Nihilque commodius*, docet Celsus, *est, quam id qua via primum expelli potest, ejicere*. Sed hisce positis abs te postularem, si doctioribus Italicis, Anglicis, aut Germanicis medicis epidemica Doulcetii constitutio obtigisset, utrum isti, antequam morbus tam multas enecaret, ut iidem fatentur Galli, multo ante tam ingenti malo vomitu opitulandum esse perspexissent? Id pro certissimo teneo. Nam ego, qui neque ingenio, neque studio, neque ætate sum cum tuis

(a) Lib. 4. aph. 10.

Gallis comparandus, antequam quid rescivissem de Doulcetii methodo, unice mei magni institutoris præceptis inhærens bis vomitu per initia provocato puerperas curavi, quod mihi bene cessit. Nec mirum, jam vero si a plurimis caussis febrim moveri superius laudati Galli citius advertissent & ibi a saburra in stomacho coacervata Doulcetii febrim proficisci; non porro expectassent, ut animo confixa opinio Gallo-Doubletio-Doulcetiana ferebat, & lactis opificium peragi, & peracto deerrare ut febris eveniret; atque curæ opus non perperam ad lac devium, sed meliori omine ad verosimiliorem morbi caussam tollendam, ut per vomitionem accidit, prius direxissent. Quare licet tu ipecacuanham quarta morbi die, quam tu vocas secundam, dedisses, id quod non est; *Des la primiére apparition de symptomes, il faut donc ne pas perdre un instant, & administrer l' ipecacuanha.* Licet triginta ipecacuanhæ grana, & in emulsione citri, & uno haustu sumenda præscripsisses, Doulcetius vero: *Administrer l' ipecacuanha à la dose de quinze grains donnés en deux prises à une heure, & demie d' intervalle.* Licet non verum sit de motis in ægra nauseis: licet ægrota, ut tu ais, respirandi difficultate laboraret: licet male conformato stomacho esset: licet abdomen, circa uteri regionem magno cum dolore distentum esset: licet jam prima die sanguine detracto: licet jam pharmaco purganti impudenter sive a chirurgo, sive ab

alio exhibito; quæ omnia minus opinione occupatum, perculsumque medicum a vomitionis impetu avertissent; tamen vomitum te civisse nec me, omisi. Imo studiosissimum Alberti de hac re alloquens, palam ei feci, nec me abhorrere in hisce morbis ab hac medicina; nec de prima vice exhibita ipecacuanha (nesciebam fuisse in emulsione propinatam) verba me adversa facere. Idque satius perspicuum est ex meæ epistolæ pag. vigesima, quidquid tu in contrarium me sentire hinnias. Scio enim in puerperis humores subito compressione finita, aliquando plus æquo inferius delabi; vomitionis vero nixu sursum iterum revocari; scio quid in gastricis præsertim febribus utilitatis vomitus præstet; scio ab aliquibus ad sydera laudibus evehi; verum

Modus est in rebus, sunt certi denique fines.

Hinc hic repeto: *Si inflammatorius humorum æstus vigeat*; qui hic aderat: *Si experientia in epidemicis constitutionibus contrarium doceat* (a): *Si magna jam irritatio in imo ventre occurrat* (b); neque hæc deerat: *vomitum movere præ-*

(a) Jacob Theophilus de Meza (Tract. de rebus ad obstetric. spect. Hafniæ 1783.) constitutionis epidemicæ febris puerperalis, in qua *putridæ colluviei in infimo ventre collectæ, & inflammationis putridæ symptomata aderant* accuratam historiam exhibet, in ipsa emeticorum usum aperte nocuisse expertus est.

(b) Cl. Selle l. c.) ipecacuanhæ usum commendat, sed *dum lymphæ, & lactis congestio ab acris colluviei circa præcordia hærentis irritatione pendet.*

sertim morbo jam provecto, non tutum esse existimaverim. Cui si addas cum eloquenti Celso: *Illud ignorari non oportere, quod non omnibus ægris eadem auxilia aliquando conveniant*. Et magis apposite ibidem: *Illud scire oportet, omne ejusmodi medicamentum, quod potui datur* (idest vomitui, ut Morgagnius explicat), *non semper ægris prodesse* (a). Te quoque, ut homini minime pertinaci expedit, jam pœnitere deberet, ad evomendum frustra tuam puerperam propulisse, quod ad Doulcetii mentem fuisse nunquam probaveris.

D. Cum Doulcetio nauseavisse dixi meam puerperam. Hinc Doulcetii principio innixus: *Quo natura vergit, eo ducere oportet*, vomitionem esse procurandam operæ prætium duxi.

C. Ita omni ejus vitæ curriculo nauseis abstinuit ægra, ut hisce circumstantiis etiam sumpto emetico non provocarentur, nisi immissis in gula digitis, ut omnes uno ore fatentur; tam verum est, *quod repugnante natura*, ut vult Celsus, *nihil medicina proficiat*. *Aveva nausee? Mai*, respondit laudata soror, *nè meno col vomitorio, se non con degli sforzi co' diti*, excitatæ. *Ebbe nausee? Mai*, respondit maritus. Neque necesse erat, ut nauseas effingeres, juxta *les symptomes toujours existants* Doubletii. Juxta autem *les symptomes particuliers* non indicta est dies, qua nauseæ

(a) L. 3. cap. 1., pag. mihi 112.

moverentur; verum probabile eſt eas, tantum fœminis contigiſſe, facile in nauſeam proclivibus (a), & prima die, dum adhuc morbi fomes in ſtomacho vertebatur. Jam vero quamprimum febris ſe exerebat, ocyus vomitione erat occurrendum, ne citra progreſſa materia, irrita vomitio eſſet, ut videre eſt ex relatione. *La ſteſſa ipecacuana che forma la baſe del metodo attuale, non ha avuto maggior ſucceſſo degli altri rimedj, fino a tanto che il caſo ha portato, che il sig. Doulcet ſi trovaſſe preſente nel medeſimo iſtante, che queſta malattia manifeſtavaſi in una donna, che poco avanti aveva partorito.* In tuæ puerperæ caſu & erat quarta morbi dies, & purgante dato, ſi quid materiei in ventriculo morabatur, ultro urgeri debuiſſet, & in ſanguinem inciſa vena aliquid avocari. *Multum etiam intereſt*, optimus Celſus docet, *ab initio quis curatus ſit an perperam*. Sed ne tibi deficiat effuſa prodigalitas, qua quotidie tecum utor, ſinam etiam nauſeas habuiſſe ægrotantem; quid inde? Nauſeæ in Doulcetiana febri aliquando ſubmovebantur a vera morbi materie in ventriculo, partibuſque viciniorībus hærente; idque per ſe patet, ſi eadem vomitione expulſa, totus morbus brevi excidebatur. Nauſeas ergo in tua puerpera non a polluta ma-

(a *Gradu tautumm do videntur differre inter ſe. nauſea, & vomitus* Burſer. vol. IV. pars alter. Mediolani apud Galeatium 1789. pag. 47.

terie excitatas fuisse oportet. Etenim & vomitione facta paululum ejecit (maritus, & soror ajunt quatuor ad summum materiei uncias coacte rejecisse, in quibus comprehendebatur emulsio citri); & nihil morbum vomitus levavit; imo eo auxit, ut ægra vomitu secunda vice repetito pro peccante materie animam suaviter emitteret (*a*). Si ex somniatis nauseis vomitus indicationem salvam, tectamque esse voluisses, sicuti non satis auspicato tibi, uti Doulcetio, res evenit; sic alio te vertere opus erat, & alia congerere signa, quibus inductus te rite ipecacuanham obtulisse probares. Verum præter cetera supra enumerata, quæ vomitionem contraindicant, caussa te movens, ut devium lac solvas, & ex corpore educas, equidem est in eodem censu reponenda. Jam vero tibi quam maxime intererat sub oculos ponere, lac devium in ventriculo, viciniori busque partibus ventum ibi coire, vitiari, ibique morbi fomitem occuli, qui nauseas provocaret; quæque *veræ essent vomitus* optimi *inceptio*, ut ait Avicenna (*b*). Secus antequam nequam materiem per totum

---

(*a*) Sæpe qualitate, non copia materia peccat, advertente Sydenhamio; & tunc licet modice vomatur, est tamen vomitio in votis. Sed in casu quantitas lacteæ materiæ deviæ morbum faciebat. Alibi apologetico auctori a vomitu morbum lenitum fuisse concessi, & quidem libenter. Nam ex hoc pariter febris naturam melius ipse dignoscere potuisset. Ceterum etiam si nihil commodi præstiterit vomitus, ex aliis symptomatibus satius febris gastricæ naturam induci poterat.

(*b*) Lib. I. fen. 4. doct. 5. cap. 2. apud Valgris. 1764., p. 206.

corpus sparsim cum sanguine vagantem educeres, tibi curæ esse debebat, ut concocta purgares, & moveres, non cruda neque in principiis, nisi materia turgeret (*a*). Quod si materia turgesceret, eo te convertere fas erat, quo natura vergebat: hinc considerato abdomine circa uteri regionem magno cum dolore distento, cum Hippocrate inferius purgavissem. *Dolores*, venerandus senex habet, *supra septum transversum purgatione indigere per superiora significant, & eos qui loca inferiora molestant per inferiora* (*b*); præsertim cum difficulter vomentibus idem alvum potius movendam esse præcipiat (*c*). Ex quibus omnibus aliquis vafer nimis inferre posset, te nec ex Doulcetii, neque ex Hippocratis mente; ast tuo proprio marte operatum fuisse: mendum autem & cum Doulcetio, & cum Hippocrate abscondendi modum te latuisse.

D. Licet nauseas impugnes; Doulcetius non iis modo fretus, ut apparet ex *symptomes toujours existants*, evomere jussit; & tamen res ipsi bene cessit.

C. Quis unquam putasset rem eo venturam, ut mihi Doulcetii curandi rationem pensum vindicandi incumberet? Doulcetius vomitum faciendi indicationem prima vice & ex

(*a*) Lib. 1. aph. 22. Hipp.
(*b*) Lib 4. aph. 18.
(*c*) Lib. 4. aph. 157.

vomitu, & ex naturæ vomendi conatibus desumpsit, juxta illud, *quo natura ducit &c.*; idque satius supra ostendimus; deficientibus vero vomitus conatibus, ex detecta medela, juxta illud, *a juvantibus, & lædentibus &c.* Quod quantum in constitutionibus epidemicis animadvertendum sit, ubique docuit Sydenhamius, qui in epidemicis evolvendis constitutionibus ita præstitit, ut Anglici Hippocratis nomen mœreretur. Jam vero, sæpe *etiam*, eloquitur Celsus, *nova incidere genera morborum* videmus, *in quibus nihil adhuc usus ostenderit, ut ideo necessarium sit animadvertere unde ea cœperint; ceu sine quo nemo mortalium reperire possit, cur hoc, quam illo potius utatur.* Hinc Sydenhamius omni animo excolendus habet, ut primum novus morbus epidemicus emergit *vix ac ne vix quidem possum efficere, ne unus, aut alter eorum, qui se primi meæ curæ commiserunt vita periclitetur: donec investigato, jugiter tandemque perspecto morbi genio ad eumdem perdomandum recto pede, & intrepidus denuo procedam* (a). Etiam si in epidemica constitutione aliquod inter morbi symptomata discrimen intercedat, & ab eadem caussa morbum proficisci, & eodem ipsissimo modo medendum Sydenhamius advertit. *Quotcunque*, ait, *sint species*, idest epidemicorum morborum, *illæ peculiares, quæ in una, ea-*

(a) De morb. epidem. pag. 38. Patavii 1700. typis Seminarii.

demque constitutione invadunt, *in communi una*, *atque generali caussa singularum productrice*, *omnes conveniunt hac scilicet*, *aut alia aeris diathesi peculiari* (*a*). Quod rite congruit cum jam enarrato Hippocratis effato: *Occasiones enim unde quis ægrotare cœpit considerare oportet* (*b*). Quare idem Sydenhamius his principiis innixus in epidemica morborum constitutione ann. 1670., ..71., ..72., & partis anni 1669., cum *eo ipso tempore*, *quo sæviebant dysenteria*, *&* *febris*, *quædam illi simillima*, *quæ dysentericis accidere sæpe solebant una exorta* esset (*c*); *eadem ipsa methodo tum quo ad venæ sectionem*, *tum repetitas purgationes*, *febrim hanc aggressus sum*, *quam in dysenteriæ curatione supra fusius deduximus* (*d*). Ex quibus patet, quod licet deficiente sæpe unico signo, ex quo vomitus judicaretur (alia enim aut non extiterunt, aut Doubletius neglexit in enumeratione *des symptomes toujours existants*); imo licet recensita signa in *symptomes toujours existants* vomitum contraindicare potius viderentur: tamen rite Doulcetius ex detecta constitutionis epidemicæ indole, &

(*a*) L. c. pag. 44.

(*b*) Monf. Vachier medicus inter Parisienses magni nominis, in libro cui titulus: *Méthode pour traiter toutes les maladies*. pag. 4. § 12. ait, *plurimos dari morbos*, *qui quamvis sibi similes videantur*, *ex diversis tamen caussis ortos*, *diversam quoque medendi rationem postulant*. Et §. 13. pag. 6., *alios e contra esse*, scribit, *qui licet diversi omnino appareant*, *ipsis eodem modo occurras fas est*.

(c) L. c. pag. 214.

(*d*) Ibid. pag. 218.

caussa, aut potius ex aperta tandem feliciter medendi ratione in epidemica constitutione vomitum præscripsit, & ipsi bene cessit. Ast nulla epidemica constitutio Gallarati exercebat, dominabaturque, qua fretus te tuteris. Et sicuti *turpis est*, docet Hippocrates, *calamitas medicamento purgante dato hominem occidere* (a); sic si vomitum bene excitum defendere volebas, signa potius ex generalioribus, sanioribusque regulis deprompta simulare debebas, non unius auctoritati nequam fidere. Nam *ubi aliquid non respondet*, dicit Celsus, *non tanti oportet putare authorem, quanti ægrum & experiri aliud, atque aliud* (b). Tu contra alia, atque alia in medium attulisti, per quæ edepol moderandum erat, ne vomitum compelleres.

D. Si puerperalis febris meæ ægrotantis gastrica fuit; si in gastricis febribus sæpe vomitio juvat; cur nunc me male pectis, si ad vomendum meam puerperam adegi?

C. Minime ego in febribus aut gastricis, aut a te puerperalibus dictis, vomitum criminor, incusoque, ut ex superius dictis manifestum, & tibi probe compertum est; licet hanc meam sententiam ignorare dissimules, dum historiam meam prosequendo affabre verba præteris, quæ hanc rem aperte demonstrant,

(a) De medicament. purgantib. p. 1., pag. 33.
(b) Lib. 3. cap. 1.

idest: *Multi enim & clarissimi, & de medicina optimi viri vomitionem puerperis cieri maximo commodo scripserunt, sed id non ita perpetuum esse putes, ut semper expediat* (*a*). Nunc magis magisque tuæ puerperæ fatum me in eadem opinione retinet, sancitque. Quamobrem si dum te esse hallucinatum deprehendebas, non te, ut Juvenalis ait, scribendi cacoethe occupari, obruique sinuisses; licet curatione male ducta, & pejus completa; haud tamen perperam fuisse inchoatam facile quis animadvertisset. Nunc vero ex tuis scriptis te etiam protinus inter initia deerravisse, maleque rem gessisse evidenter res ex se ipsa loquitur. Etenim dum de febri puerperali te ad dicendum paratum esse declaras, ad amussim metritidem pingis, longe alium morbum. Revera ais: *Eam reperi &c. cum pulsibus parvis, frequentibus, obscurisque* (*b*). Paulus Ægineta *pulsus parvos, & densos esse* in uteri inflammatione dicit (*c*); ut etiam Ætius (*d*). Neque mihi fidem adhibebis, si in imi ventris non criticis affectionibus cum omnibus fere veteribus, recentioribusque scriptoribus pulsum sic se habere dicam, ut ex mea nuper edita dissertatione de

(*a*) Vid. meam epistol. Jam Celsus suo ævo hæc præciperat. *Invidit ut alia atque alia summi auctores, quasi sola, venditaverint, prout cuique cesserant* (lib. 3. cap. 1.).

(*b*) §. 7.

(*c*) De re medic. lib. 3. cap. 64., mihi pag. 483. Medicinæ artis principes

(*d*) Tetrab. 4. serm 4. cap. 83.

pulsu videri potest. Tu sequeris: *Cum nausea*: Nauseas, & imo sæpe vomitiones in uteri inflammatione excitari monent Hippocrates (*a*), Nicolaus Piso (*b*), Vogelius (*c*), Sagarius (*d*), Sauvagesius (*e*). Sequeris: *Et respiratione difficili*. Cum dyspnoea, ait Sauvagesius, & cum dyspnoea repetit esse metritidem comitatam Sagarius (*f*). Neque mirum nam abdominis viscerum distensione superius urgetur diaphragma, pectoris cavitas coarctatur, pulmo cum non se ampliari possit premitur, & hinc dyspnoea. Insequeris iterum: *tum flaccidis, ac fere vacuis mammis*. Tu nimis, ego nihil inde consequor. Instas: *Abdomine vero circa uteri regionem magno cum dolore distento* (*). Quibus adjunge & superius, & inferius a te dicta, habesque uteri inflammati genuinum, & pathognomonicum signum. Sauvagesius sic metritidem definit. *Est phlegmasia, cujus præcipuum symptoma est tumor regionis uteri, cum ardore, dolore, gravitate, & pyrexia acuta*. Sauvagesium quasi ad verbum sequitur Saga-

(*a*) De natur. mulier. pag. 78.
(*b*) De cognosc. & curand. morb. lib. 3. cap. 57. Lipsiæ 1766. pag. 606.
(*c*) De cognosc. & curand. præcip. hum. corp. malis, pars 1. §. 236.
(*d*) System. morbor. symptomat. Viennæ 1776. class. 11. ord. 1. gen. 17.
(*e*) Nosolog. class. 3. ord. 2. genus 17.
(*f*) Ambo l. c.
(*) Si cum Doulcetio scribit, signa recenset gastricæ febris, si ex propria Pallade, undique hallucinatur; & hic puerperalis ejus febris historia in metritidis descriptionem labitur.

rius (*a*). Quod si regeras magnum fuisse tuæ puerperæ dolorem: *Hanc inflammationem indicat dolor ardens*, scribit Piso (*b*); *vehementem* vero esse inquit Gorterius (*c*). Jactationem corporis, quam statim subjungis, recensetur & ipsa inter symptomata ab iisdem Sauvagesio, & Sagario enumerata; neque ea infrequens est in infimi ventris viscerum inflammatione, uti crebri dolores quoque sunt, & Hippocrates etiam *lumbos dolere*, habet, *si uteri inflammati fuerint* (*d*). Vogelius & inguina, & totum abdomen vexari (*e*) scribit. Hisce omnibus si iterum addamus quæ §. 10. profers, rem perfecte enucleas. Revera ibi scribis: *Urinæ, & lochia multum imminuta, major ventris tensio, alvus adstricta*. Piso habet inflammatio uteri, *si in anteriorem partem devergit, in pubem dolor inclinat, & urinæ difficultatem, vel stillicidium parit* (*f*). Cujus rei jam rationem reddiderat Ætius sic: *Anteriore autem parte inflammata urinæ difficultas, aut stillicidium consequitur ex compressa vesica, præsertim si dolor pectinem affligit*. Ex lochiis retentis uteri inflammationem urgeri docuerunt Hippocrates, Galenus, Mercurialis, & cum his veteres omnes; Vogelius Rudulphus

(*a*) Iterum ambo l. c.
(*b*) L. o pag. 607.
(*c*) Comment. in aph. Hipp. lib. 5. aph. 42.
(*d*) L. c.
(*e*) L. c. §. 237.
(*f*) Quotidie l. c.

eam esse inflammationis præcipuam caussam aperte asserit (*a*). Sauvagesius de puerperarum metritide apposite ait: *Adest mingendi, & alvi deponendæ difficultas, febris simul magna, difficultas spirandi &c.* Quorum effectuum caussam rite posuit Duretus in uteri distensione, qui viciniores partes comprimens, urinas & fœces *prohibet*, *comprimitque*, ut jam ego scripseram, quod tu temere irrisisti (*b*). Quare tu dum febris gastricæ historiam, aut puerperalis Doulcetii, quod idem est, condere omni opera conniteris, *cunctis attente consideratis* veram genuinam, omnibusque numeris absolutam metritidis descriptionem tradis. Quod si reponas ex tuis scriptis patere febrim ex continuis remittentibus fuisse, quæ in inflammatione locum non habent: respondebo, uteri inflammationem cum pyrexia amphimerina aliquando uniri docuisse Sauvagesium; cum remittente Sagarium. Remittere vero cum Gorterio noster Italiæ ornamentum celeberrimus Andreas Pasta in aureis Hippocratis aphorismorum defendit. *Attamen*, inquit, *persæpe vidi lethales uteri inflammationes, tam in prægnantibus, quam in ceteris mulieribus, cum febribus quæ remittebant conjunctas; interdum etiam cum iis, quæ cum rigore revertebantur, seque se subinde remitterent incerto*

(*a*) L. c. §. 236., pag. 185.

(*b*) Duret. in Coac. Hipp. apud Steph. Gamonet. ann. 1665., pag. 463.

sæpius ordine. Neque difficile est nostram puerperam ex febri puerperali gastrica, cum uteri aut hinc, aut inde, aut cum mesenterii intestinorum, aliorumve infimi ventris inflammatione complicata laboravisse. Sed tu aliqua modo communia febris gastricæ, & inflammati uteri symptomata exposuisti, quibus cum peculiare, & pathognomonicum metritidis symptoma adderes, in illud unum omnia superius enarrata signa conveniunt, veramque metritidis historiam faciunt. Jam vero quis in hisce rerum circumstantiis sive ex veteribus, qui omnes morbos ex humorum vitiis oriri cogitantes facilius, & sæpissime vomitu providendum esse volebant; sive ex recentioribus promptius vomitibus indulgentibus: quis inquam non modo in imi ventris inflammatione, verum etiam in inflammationis suspicione vomitum premere tuto scriptitaverit? Provoco, ut unum, aut alterum mediocrem antiquum, aut recentiorem medicum ultro proferas, qui id suaserit. Quinimo sexcenta hic adducere possem cl. scriptorum auctoritates, qui aperte vomitum condemnant; verum ut populariter tecum rem habeam, utar doctrina celeberrimi Tissotii; ipse non medicos, quod supervacaneum credidisset, sed populum monet: *L'emetique sur-tout donné dans une maladie inflammatoire, produit le plus grands maux* (a). Ne-

(a) Avis aux peuple §. 19.

que cum Doubletio opponas eos esse in febri puerperali ipecacuanhæ effectus: *Qu' il mérite à juste titre le nom de specifique en ce cas.* Nam apposite monet Reinboldus Spielmann: *Caveant saltem medici ne se magnifico specifici titulo patiantur seduci, ut medicamentum vomitum excitans exhibeant, quando inflammatio instat, sive jam præsto est, quidquid etiam de leni ejus indole* (idest ipecacuanhæ) *venditent, ista tamen nunquam poterit impedire, quin fiant ea, quæ ratio mechanica vomitus non potest non caussare* (*a*).

Accedit eodem, quod respirandi difficultas, & stomachus male conformatus, etiam tyrones, ut primum vomitionis actionem ex physiologis didicissent, ab hoc avertissent. Avicena Arabæ scholæ facile princeps habet: *Sunt homines, qui sunt remotiores ab hoc, ut medicus eos vomere faciat, ut qui pectus habent strictum, & qui male anhelant* (*b*). Ultimo cum Doulcetio, quem sub oculos habebas, a vomitione in hoc casu abstinere debuisses. Etenim morbo jam provecto, non est *dès l' apparition prémiere des symptomes, il faut donc ne pas perdre un instant, & administrer l' ipecacuana*. Nec lochiis retentis est: *Sans qu' il ait aucune diminution de lochies, qui continuent à bien couler*. Sed adhuc finem fa-

---

(*a*) Mater. med. Argentorati 1774., pag. 618.
(*b*) Fen. 4. lib. I. doct. 5. T. I. cap. II., pag. 206.

facere nequeo, quin exemplum tibi ſub oculos ponam ex tuæ doctrinæ Gallico fautore depromptum, quo manifeſte mea comprobatur ſententia. Habes diarios medicos Pariſienſes; vide ergo ſub ann. 1786. menſ. Februarii hiſtoriam febris inflammatoriæ puerperalis a Dufau relatam, eam lege, & attentius perlege; ex qua colliges emetici uſu puerperam perditam fuiſſe; ut ſupra celebrati Lipſienſes medicinæ commentarii ſic adverterunt: *Hæc iterum probant, quam incoſtans, vaga, incertaque febris vere puerperalis a lactis metaſtaſi oriundæ notio ſit, & quantopere hi errent, qui dum febrim vident, & lac interceptum ſtatim morbum pro lacte inducto habent. Sane ſi hæc non putaſſet cl. Dufau, nec ægræ, in qua viſcerum abdominalium inflammatio primaria, non ſecundaria erat, emeticam medicinam præſcripſiſſet, omnia forte aliter evaſiſſent* (a).

D. Mihi ſummopere cordi erat & ſtaſes lacteas ſolvere, & e corpore educere. Atque, hoc fretus principio, ipecacuanham in emulſione citri præſcripſi. Cetera profecto nec animadverſione digna credidiſſem.

C. Nego ſuppoſitum, dixiſſent ſcholaſtici. Nam neque ſtaſes lacteas in puerperali febri peccare ſuperius, ut par eſt, probavimus: neque ipecacuanha ſtaſes lacteas ſolvit. Quis nam te edocuit lactis coagula, ipecacuanha, ea ra-

G

(a) Vol. 29. pag. 329.

tione, & dosi exhibita, solvi? Deinde si tu *filamenta caseamentosa* alteram puerperam data ipecacuanha rejecisse asseris (*a*), non necesse erat lac solvi, ut educeretur. Neque quis, per immortales Superos, eam fuisse Doulcetio-Doubletianam mentem, ut ipecacuanham ad lac solvendum porrigeret, unquam conjiciet: si imo contrarium in Doubletii expositione videtur? Enim vero sic de ipecacuanha loquitur: *On peu dire, que par sa qualité secondaire, tonique, & subastringente, il empeche les vaisseaux lymphatiques de verser dans la cavité de l'abdomen l'humeur laiteuse, qu'ils contiennent alors, en le resserrant convenablement; ce qu'on attendroit en vain de tout autre vomitif.* Quare si juxta te ipecacuanha hunc immaginarium humorem solveret, solutus melius in abdominis cavo effunderetur, quod ipsa juxta Doubletium precaveret. Hinc aut tu Doulcetium, aut Doulcetius, si adhuc reviviseeret non te conciperet. Ceterum nonne fieri potuit, ut data ipecacuanha in emulsione citri, loco dissipandi stases lacteas, quæ non aderant, novæ efficerentur? Quæ nam est hujusmodi inaudita ipecacuanham exhibendi ratio?

D. Si in emulsione citri ipecacuanham præscripsi, erant triginta ipsius grana uno haustu sumenda?

(*a*) Pag. 29. ejus libelli, a Marelli largiti.

C. Id profecto non est curare ad Doulcetii mentem, ut ubique obtestaris. *Il faut*, ait ipse, *administrer l' ipecacuanha à la dose de quinze graines donnés en deux prises à une heure & demi d' intervalle*. Non quod generatim nimiam dosim improbem. Nam non me latet a Dekero, & Degnero ad dimidiam drachmam, a Zimmermannio ad quadraginta grana dari, ad drachmam Harttmannum in ejus materia medica pertingere, & passim drachmam Brasilienses in usum habere: neque dosim majorem damno esse scribit Van-Swieten, si vomitu accito, quod reliquum ipecacuanhæ est non solutæ, ejicitur. Verum in casu si ad Doulcetii mentem mederi volebas, eadem erat accurate retinenda methodus præsertim cum alio scopo triginta ipecacuanhæ grana in emulsione citri uno haustu data, & alio longe diverso quindecim ejusdem pharmaci grana duabus vicibus assumpta inserviant. Nam in primis cl. Piso, & doctissimus Gianella (*a*), adstringere ipecacuanham ex infuso, & paucis dosibus exhibitam, potius quam purgare, docent. Adstringere quoque ait fractam ipecacuanhæ dosim clarissimus Huck referente, & assentiente Murray (*b*). Hasheim

(*a*) Carol. Gianell. de admirab. ipecacuanhæ virtut. in curand. febrib &c. Patavii 1754. Haller. Collect. dissert. T. V., pag. 115. Dissertatio lectu dignissima.

(*b*) Apparat. medic. vol. I., pag. 441. Ticini 1787.

anthæmoptoica proprietate donari ad granum data scribit (*a*). Nonne etiam Doulcetius fractis dosibus utebatur subadstringendi scopo? Videtur: nam ipecacuanham commendat; *par sa qualité secondaire, tonique, & subastringente*. Deinde minimæ doses id etiam utilitatis præstant, ut perspirationem juvent. *Commodissimum est*, ait cl. David Machbrid., *minimas ipecacuanhæ portiones tertia quoque, vel quarta hora exhibere, quæ diaphoresim promovendo, humores ad intestina ruentes divertunt* (*b*). Cranzius ait: *cocta* ipecacuanha *parum purgat magis diuretica sudoriphera* (*c*): coquendo enim vires deperdit, hinc idem est ac si daretur parva dosi, aut saltem eumdem præstat effectum. Nec minus videtur Doubletius perspirarioni attendisse, dum ait de supposita lactis aberratione: *Toute la matiére laiteuse est évacuée par les selles, colle avec les vuidages, ou s'echappe par le voies de la transpiration*. Quid plura! etiam paucis dosibus, ut Geoffroy (*d*), & paucissimis, ut Pye (*e*) contendunt, si conveniat, vomitio procreatur. Illudque commodi in hujusmodi circumstantiis fractæ doses præstant, ut aut subadstringant, aut perspirationem excitent, ut Doulcetio arridet, aut temperanter alvum moveant. Ma-

---

(*a*) Acta regiæ societ. medic. Hauniens. vol. 1. ann. 1783.
(*b*) Introduct. method. T. II. Lausan. ann. 1783., pag. 32.
(*c*) Mater. med. Kraus 1779. T. II., pag. 211.
(*d*) Mater. med. T. II., pag. 161.
(*e*) Med. observ. & inquiry T. I., pag. 240.

jores vero doses non impulso vomitu, proximum est ut in infimum ventrem progressæ immodice irritent, drasticique pharmaci vices gerant. Hinc dolores, convulsiones, inflamationes, tensiones &c., quæ omnia in tu, puerpera etiam ex hac caussa aut procreari aut augeri potuerint.

D. Ut mala hæc averterem, utque solvendi, & evacuandi humores indicationi vacarem, emollientia clysmata, & decoctum capilisveneris nitrato-catharticatum imperavi.

C. Doulcetius contra: *Aprés l' effet de ce rémede, passer tout de suite à l' usage d' une potion heileuse, composée des deux onces d'huile d' amandes douces, d' une once de syrop de guimauve, & des deux grains de kermes minéral, que l' on fait prendre par cuillerées:* apta, accommodataque medicina, ut si quid saburræ in crassis intestinis delapsæ ibi stagnet, per alvum inde apertam eliminetur: hinc ait: *toute le matiére laiteuse* &c. vid. supra. Quibus verbis nullam te adhibuisse attentionem suspicor. Nam dum Doulcetius aperte declarat, lac devium, alvo lochiis, perspiratione evadere; tu contra *emeticum*, ais, *ex ipecacuanha præscripsi, ut ad laudati Doulcetii mentem, devius humor lacteus solveretur, & ex corpore educeretur* (a); quasi vomitione om-

(a) §. 8.

nem morbi materiem educi expectares, expectaturus ad diem judicii usque. Verum est te Doulcetianæ mixturæ clysmata emollientia, & potionem *nitrato-catharticatam* suffecisse, sed nonne id te ambigisse demonstrat, morbus fuisset nec ne, puerperalis Doulcetii febris? Nonne ancipitem animum tuum cogitatio subiit, inflammationem in casu adesse, ob quam nitrum offerebas? Aut fortasse salem hunc dedisti ut urinas proveheres? Sales enim omnes sunt idragoghi, & nitrum summopere hac facultate, & antiphlogistica virtute etiam pollet, ut ex experimentis ab Alexandro in se captis statuitur. Nihil dicam de decocto capilveneris nitrato-catharticato, cujus loco Doulcetius: *La boisson doit être simple, telle par exemple qu' une eau de graine de lin, édulcorée avec le syrop de guimauve*. Modo subjungam, cum ego in tuæ puerperæ cura vomitionem tantum improbarem, quam secunda vice provocare volebas; hanc unam tu cum Doulcetio defendere conaris, cetera plane negligis, aliaque subdis juxta tui ingenii vires; jure, an injuria unusquisque cl. Doulcetium cum Donzellio æquiparet, decernatque.

D. Quid me cum Doulcetio comparas? Ipse excelluit rem incipiens, ego vero ut eamdem perficerem enixe studebam. Revera nihil Doulcetius ad acutos dolores leniendos præscripsit; ego vero fomenta, & unctiones ex unguento malvæ, & oleo chamomillæ addenda censui.

C. In superius citata relatione a De Las-

ſone, Geoffroy, Mauduy, Vicq d' Azir, Jeanroy, Hallé facta, & ad Gubernium miſſa, habetur. *Egualmente ribelle queſta rapida malattia agli sforzi dell' arte, e alle riſorſe della natura, ha reſiſtito conſtantemente ai rimedj più ſaviamente praticati o per prevenire l' infiammazione, o per deviare l' umore dei viſceri del baſſo ventre, o per richiamare il corſo del latte &c.*; & paullo poſt: *tutto è ſtato tentato, e tutto in vano*. Fotum ergo abdomini applicas ad leniendos dolores, juxta te a lacte devio, & in ventris cavo confluxo exortos. Si aer extricatus ſive ex lactis, ſive ex alíus humoris depravatione ventrem diſtendit, vexat, affligit; fomenta emollientia calida (nam calida juſſiſti) cutem molliunt, aerem rarefaciunt, hinc diſtenſio, cruciatuſque majores. Si vero ab imi ventris phlogiſtico, ut ita dicam tumore, diſtenſio, & dolores proficiſcebantur; calor applicatus nocet: nam humoris vitiati pungens acrimonia eo magis exeritur, quo magis calore partes æſtuantur, quod juxta ſelectiora chemiæ principia cedit. Atque hujuſmodi forte cauſſa fuit, cur nullo modo tua puerpera fotus ſufferre non poſſet. Aliquando nimis hiſce fomentationibus inepti medici fidunt, & interdum opportuniorem medicinam facere omittunt. Scio equidem etiam ab aliquibus bonis ſcriptoribus fotum in cœlum extolli; ſed & eidem plus juſto fortaſſe tribuunt; nec veriſimile eſt eos interea meliorem medicinam neglexiſſe. Hac de re le-

gi : ex veteribus mœretur Alexander Trallianus, qui sic docet. *Fomentis autem, & cataplasmatis per initia statim uti festinandum non est, neque quum copia humorum in toto corpore superat. Metus enim est ne dum viscera nimium incallescunt, laxanturque, confluxus quidem ad partes affectas decumbat, & adaucta illuc inflammatione, præter quam quod nihil proficimus, magis etiam offendamus. Quod ii quoque faciunt, qui priusquam totum corpus excrementis fuerit liberatum, cataplasmatis, & superfusionibus uti non verentur. Ego itaque novi, etiam inflammationes, quæ non erant, ob præcipitem ipsorum usum supervenire &c.* (*a*). Relate vero ad unctiones ex unguento malvæ, & oleo chamomillæ conflatas, quibus ægrotam mulierem leniebas, hoc mali ipsæ præstiterunt, ut perspirationem cohiberent, id quod mehercle Doulcetius cavisset aiens: *S'echappe*, id est lac, *par les vois de la transpiration*. Deinde odoramentis (male olet istud tetrapharmacum) sæpe puerperæ afficiuntur, ob summam, qua sunt præditæ, nervorum mobilitatem. Sed hæc mittamus, nimis jam forte rigidus fui, nunc pacatiori animo abs te flagito, quid nam medicinæ feceris die secunda cum te numerando, quarta mecum?

D. Die insequenti ægra melius se habens, nihil movendum esse censui: cunctando & Fabius rem restituit.

(*a*) Cap. 7. lib. 12., mihi pag. 337.

C. Doulcetius e contra Hippocratis vestigiis ad amussim insistens: *Le lendemain* (dies nempe, qua tu nihil nec agis, nec moliris) *malgrés la diminution des symptomes il faut recommencer à donner l' ipecacuanha, & ensuite la potion de la même maniére*. Revera Hippocrates ait: *Purgandum in valde acutis, si materia turgeat, eadem die: tardare enim in talibus malum est* (a). Et alibi: *Tempus est in quo occasio est; occasio vero in qua tempus non multum* (b). Res est jucunda, & amœna: nam & febrim ad Doulcetii mentem fabbricare *enixe studes*, & ab ipsius fortunata medendi ratione toto cœlo aberras. Siquidem aut in tua puerpera materia turgebat, aut non; si turgebat juxta Hippocratem, ad quem modo confugis, ut salvus sis, erat eliminanda nulla interposita mora: si vero non turgebat; cur adhuc incoctam evacuandi prima die curæ erat? Quare nec juxta Hippocratem, nec juxta Doulcetium te gerens cunctando, domique consulendo quid in casu ageres, rem fortasse perdidisti, juxta illud: *Dum Romæ consulitur, Saguntum expugnatur*.

D Impudenter me de malo puerperæ eventu arguis: Nonne jam monuerat Hippocrates: *Sanos omnes ægrotos facere impossibile est*. Tum statim, ac celeberrimum Doulcetium usque ad

(a) Sect. 4. aph. 10.
(b) Lib. de præceptionib., mihi pag. 7.

extremum pedisequor, quid ad me, si e vivis puerpera evolavit? Revera cum omnia *in pejus ruerent, & magnum mihi lactiginosæ stases metum inferrent, Doulcetii præceptis inhærens ad emeticum confugi, hac sperans methodo adhuc posse concretam lacteam materiam resolvi*.

C. Scito omnes a Doulcetio in nosocomio Jovis tractatas ægrotantes puerperas evasisse; si modo sex excipias, quæ ei morem gerere restiterunt, emeticumque sumere quotidie reluctavere. *E in quattro mesi, nel corso de' quali regnò l'epidemia con furore, fu conservata la vita a più di duecento donne, cinque o sei solamente essendo rimaste vittime della loro ostinazione nel ricusare di prendere il vomitorio*. Quibus in nosocomio degentibus adde quatuor a te extra bono omine curatas, sicque ad bis centum supra quatuor ascendent. Quomodo ergo experimentum bis centies citra quatuor captum, quodque semper prospere cessit, tibi uni deficere poterit? Sed mihi haud recte ratiocinari videris, dum ais te Doulcetio adhærentem iterum emeticum scripsisse. Iterum, iterumque repeto, nec Doubletio-Doulcetius, nec illi, quibus Doulcetii historiam renunciandi commissum fuit, de urina, & lochiorum diminutione, de difficultate spirandi, de stomacho male conformato, deque aliis, quæ vomitum in tua puerpera prohibent, mentionem faciunt. Apposite cl. Schreiber postquam dixit: *Si quis ergo in ca-*

sibus similibus medicis sub iisdem descriptis circumstantiis, eadem medicamenta adhibet, is medicinam faciens non errat, atque cum ratione imitatur (a); subjungit: *In eo ergo differt imitatio rationalis medici practici ab empirica, seu cœca, quod hæc ob circumstantias quasdam cognitas, aliis non animadversis casum pro simili habet, vel e contrario.* Prærerea unde tu rescis, si tertia morbi die juxta te, juxta mihi relatum quinta, Doulcetius ab emetico se se abstinuisset, quod plane propinandum esse inculcavit, istud tertia die, aut melius quinta, morbo ingravescente ab eodem exhibitum iri? Verum est Doulcetium dixisse: *On à quelque fois été obbligé d' y recourir jusqu' à trois & quatre fois*; ast, id est post assumptum emeticum etiam *le lendemain, malgré la diminution des symptomes*: tunc potuisset a juvantibus, & lædentibus indicationem etiam septies vomitum faciendi elicere. Audi Hippocratem accurate hanc rem plusquam bis mille ab hinc annis docentem: *Intempestivitas autem, ait, si quæ mane curare oportet, in meridie curentur. Propterea vero intempestive curantur, quia inclinationem ad pejus habent, propter curationem non in tempore factam* (b). Tu vero nec heri, nec hodie, nec cras, nec postridie, quo cura esset dirigenda, intellexis-

(a) Almag medicu. De medicin. & medico in genere §. 197.
(b) De morb. lib. 1., pag. 49.

se videris. Si vera loqui vis, fatearis oportet, prima die te ægram Doulcetiana febri detineri credidisse, vomitumque urgebas: secunda die non sic se rem habere tecum ipse machinabaris; nec vomitum periclitari censuisti: tertia vero die iterum animo revolvebas esse ex re puerperæ morbum, Doulcetianam febrim; & licet sero, vomitum tamen propellere contendebas. Quid vero imposterum excogitares ex tuis scriptis, sicuti hæc, sic illa, te etiam inconfesso, hauriemus. Sed in hoc rerum statu una te caussa movet ad emeticum persuadendum, ut concretam nempe somniatam lactis substantiam resolvas. Atqui nisi *eum recte curaturum*, ait Celsus, *quem prima origo caussæ non fefellerit*; te vero fefellit, ergo &c. Fortasse id emetico consecutus es, ut in stomacho, tenuibusque intestinis primum ejusdem actio evoluta, motum peristalticum, licet in casu ad vomitum non satis, inverteres; sicque materiarum, quæ jam ad inferiora proclives esse videbantur, egressum per alvum prohiberes; atque hinc ipsas compressas nec sursum propelli, nec deorsum evacuari sineres. Neque nullus te pavor ingruit, ne ægra jam magis magisque laboriose spiritum trahens vomitionis conatu suffocaretur? Mi care, vide si hic concinne aptari, accommodarique potest illud tuum effatum: *Medicus si non potest juvare, saltem ne noceat.*

D. Quid nam dicis, multa in hac puerpera convenisse, quæ multo magis vomitio-

nem secunda vice contraindicarent? Dic potius vomitum quam maxime adjumento futurum fuisse, si evomere potuisset, etiam ad dimissas vires sustinendas, refocillandasque.

C. Nunc quasi tibi subirascor. Iterum repeto: 1. tua puerpera difficulter in vomitum concitabatur: idque ex dato emetico, etiam ipsa nauseante, ut tu ais, cognoscere debuisses. Atqui hac secunda vice nec nauseas fingis, nec probabile erat, ægram de repente proniorem in vomitum factam, ut eventu comprobatum fuit: difficulter vero vomentibus vomitum prohibet Hippocrates, prohibet Galenus sic: *Cogere eum qui vomere non potest absurdum est* (*a*), omnesque prohibent testante Jacobo Jopsero: *Volunt nimirum*, inquit Hippocrates, & Galenus, *atque cum iis tota facile medicorum schola, quod difficulter vomentes, per inferiora sint purgandi* (*b*). 2. Tua puerpera erat, ut tu ais, stomachi male conformati: *Contraria autem sunt*, docente Paulo, *vomitoria medicamenta*, *sanguinis sputis*, *& stomacho male affectis*, *& qui suffocari solent* (*c*). *Periculosus*, ait laudatissimus Andreas Pasta, *est vomitus iis*, *qui thoracem angustum habent* &c., *& qui difficulter respirant* (*d*). 3. Cum autem tuæ puerperæ abdomen

(*a*) De loc. affect., pag. 5.
(*b*) Manuduct. ad vitam long., pag. 248.
(*c*) Lib. VII. cap. X.
(*d*) Comm. in aph. Hippoc. sect. IV. aph. 7.

tertia die magis distenderetur; hinc respiratio difficilior, & vomitus compertior contraindicatio. 4. Inflammationis viscerum infimi ventris signa evidentius se exerebant; hinc vide superius. Proximum est, ut si in casu vomitus vires recreet, perquiramus. Scardona Sydenhamii auctoritate fretus, ægro ad vomendum proclivi, vasis liberis, thorace amplo, quovis tempore si quis vomitum imperet, bene esse, scribit. *Dummodo ejus vires ferendo emetico pares noverit* (*a*). Ast, *vomitus*, docente principe physiologorum, *iidem effectus sunt, qui nixus vehementissimus, nempe labor, incitatio circuitus sanguinis maxima* (*b*). Lubenter concedo in fortibus vomitu torpidum, ignavumque aliquando refertum ventrem excuti, & plenitudine sopitas vires eodem exspergefieri: verum etiam frigus, corporis exercitationes, nixus, venatio, & magnæ pilæ lusoriæ ludus corpus obfirmant; quis tamen puerperæ tuæ mandavisset, ut venatum, & magnæ pilæ lusum iret? Imparem vero protinus tuam puerperam fuisse ad vomitus nisum perferendum; status, in quem ipsam vespere reponis, mane, qua tu emeticum dedisti, adhuc pejor demonstrat. Atque id magis apparet, dum me condemnas, quia binas salis anglici uncias epicratice sumendas,

(*a*) De cognosc. & curandis morb. T. IV. lib. 4. cap. 5., pag. 131.

(*b*) Physiol. magn. lib. 8. sect. 4. §. 40.

& finita ipecacuanhæ actione, si adhuc ægra superstes esset, sicque res in melius conversæ permitterent, præscripseram, ut ex meo *epistolio*, si non mea me fallit opinio, quod, ut proferas, licet inconcinne scriptum provoco, cognoscitur. Res suavitate, & lepore vere condita est. Jam vero dum te dulcissimum, ac mitissimum medicum, alterumque Florentinum Æsculapium Redi jactitas, in leniter, blandeque ægrotantes etiam rebus ad extremum traductis habendo, me & temere, & ferociter medicinam, quasi igne, ferroque facientem pingis: tu *in illo rerum statu fortius quidquam movere non ausurus*, triginta ipecacuanhæ grana delicata, ac temperatissima medicina tuto suades, jubes, & denuo adjungis salis anglicani unciam unam duabus nitri drachmis unitam assumendam eadem emetici die? Quomodo me injuste, temereque condemnare audes, si binas uncias ejusdem salis rebus in melius immutatis epicratice dandas suadebam? Imo ut tibi locus pateret ad me redarguendum, præscriptum a te salem callide dissimulavisti; sed *nihil simulatum*, ait Cicero, *potest esse diuturnum*. Nunc ultro scrutemur quid te de tuæ puerperæ febri hac die sensisse appareat. Sicuti secunda die, ut jam vidimus, hæsitans, laboraret, nec ne puerpera Doulcetiana febri, quievisti; sic tertia die, te vomitum mandante, adhuc revera tuam puerperam febri puerperali Doulcetiana laborare, tuum cerebrum erronea suspicatio occu-

pavit. Quid plura! Nulla nec Doubletius, nec alii proferunt exempla, quibuſcum hoc tuum comparetur; ſcimus equidem aliquas a Doulcetio tractatas periiſſe; ſed hae pertinaciter ab emetico abhorruerunt. Si vero aliqua exſtiterit, quæ prima, aut ſecunda morbi die vomitione provocata, altera die non vomeret, tertia, aut potius ſexta morbo confecta iterum vomitu reſurgeret, adhuc latet, nec ulla dies aperiet unquam. Quare nec dicere potes, te cum Doulcetio erraviſſe. Cur ad vires fulciendas erigendaſque, ſi totidem Doulcetium non intellexiſti, multaque ex tua acri Pallade ſubnectiſti, cur etiam cantharides non admoviſti? Si ſuſpicio inflammationis aliqua erat, quam maxime ipſæ profuiſſent, ut & ex Baglivio, & ex nuper editis docti chirurgi Palletta, quem multi facio (*a*), ſcriptis diſcere potuiſſes. Neque obſtat putridus humorum ſtatus, dum cantharides alkali ſcatent. Nam etiam alkali putredini reſiſtit, docente cl. Pringle, & cantharides fortaſſe, & tuas lacteas ſtaſes, alioſque peccantes humores & revocare, & ſolvere potuiſſent. Sed nunc a te expecto quid boni ex tua medicina manaverit. Nam ſi Doulcetianam febrim ad Doul-

cetii

(*a*) Adverſaria chirurgica prima: *Saggio di ſperienze ſul ſangue umano*. Quanquam in experimentis a me de eadem re inſtitutis non ubique eidem aſſentiri poſſim; tamen & ego eum multi facio, & ſatis quoque in Commentariis Lipſienſibus ſupra citatis (vol. 30. pag. 435.) commendatur.

cetii mentem egisti, tuam puerperam in vado a te traductam fuisse probabile videtur.

D. Minime sane, sicuti *sanos equidem omnes facere ægrotos impossibile est*, ut jam præcinit Hippocrates; & ut ipse sequitur: *Malos subinde eventus non in artem, aut artificem, sed in morbum, & pertinacem morbi caussam referendos esse. Tunc medicum functum esse suo ufficio* quando omnia ea peragit, quæ ars suppeditat, longusque usus ei subministrat; sic mea ægra *uno, secundo, & tertio deliquio affecta animam efflavit*. Neque meliorem tu fortunam nactus esses, si binas salis anglicani uncias, me non obsistente exhibuisses.

C. Eadem die, qua emeticum obtulisti, unciam unam ejusdem salis, cui lethalem pene in hoc casu nitri dosim, ut conjicies ex Angli Alexandri experimentis, adjungis, & tuæ ægræ sumendum præbes; me vero carpis si epicratice salem anglicanum rebus in melius versis, & ut ex aliqua parte tibi assentirer præscribo? Id vere perpulchrum est, superius partes Doulcetii gerens, ipsius doctrinam a tuis erroribus vindicavi; nunc dum rem tranquillam tecum habendi, finiendique gratia, ex parte tecum conveni, commodatum assensum necesse est tuear; & te ex aliqua parte a longe opportuniores indicationes cognovisse demonstrem. Sales medii putredini resistunt, antiphlogistica virtute præditi sunt, lochia vehunt, urinas cient, & aliqui, ut etiam sal anglicus, majori dosi commendantur ad alvum

movendam. Atqui tua puerpera febri in putridum vergens laborabat, inflammationis viscerum imi ventris suspicio aderat, urinæ morabantur, lochia substiterant, alvus adstricta erat, datur ne ergo in casu aptior, accommodatiorque medicina (*a*)? Sed nimiam esse dosim dicis, & ideo major fit, si addas, quam tu mihi ignotam, ut ex tua schedula, & pharmacopolæ nota constat, præscripsisti. Iterum repono, me epicratice salem assumendum esse jussisse, & crastina ab emetico die, si ægra superstes fuisset, jam monuerant ejus optimi fratres, aliique affines, ut ad ægram invisendam denuo me conferrem, quo die usum salis suscipere debebat, si ita mihi visum fuisset. Præterea ægræ, hac jam uti medicina assueta, minus laboris fecisset. Cetera a tuis criminationibus, me satis superque apud sapientes & sartum, & tectum existimo, si ipsorum oculis subjiciam, quæ mea constans esset hac de re cogitandi ratio, quam jam ante disceptationes pagina 24. meæ superioris epistolæ palam feceram, quamque sufficiat legisse, ut omnis dubitationi locus adimatur. Ibi sic habetur. *Aliquando ad alvum ducendam*

(*a*) Sal anglicus ex terra alkalina absorbente, ut contra Sulbergium ostendidit Vallerius, assentientibus Bergmanno, Macquerio, Scopolio, aliisque, & ex acido vitrioli, & aqua. Vallerius hujus salis analysim instituens, centum partes in triginta tres acidi vitrioli, decemnovem magnesiæ, sive terræ absorbentis, quadraginta octo puræ aquæ divisit. Sæpe sal anglicus sali mirabili, & alumini mixtus venditur, quod omni studio cavendum.

satis erant injecta clysteria ex malva &c. Sequiturque: *Animadvertendum est, quod si quis acrioribus pharmacis alvum luxantibus uteretur; aut inde nimis fusa alvus morbum non levabat, viresque eo magis labefactabat, aut jam soluta comprimebatur.*

FINIS